



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Vita, Epistolae Et Decreta Ivlii Papae I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
336.  
tam dixi, miraculose contigit. Hæc ex Rufino, Epiphanio hæresi 74.  
Athanas. apol. 2. de synodis & epist. ad solitarios, Baronius ann. 336.  
num. 27.

VITA,  
EPISTOLÆ ET DECRETA  
IULII PAPÆ I.

*Ex libro pontificali Damasi papæ.*

\* v. l. IULIVS natione Romanus, ex patre Rustico, sedit annos  
quindecim, menses duos, dies \* XVIII. Fuit autem  
temporibus Constantii hæretici filii Constantini, a con-  
sultatu Feliciani & Maximini. Hic post multas tribulatio-  
nes in exilio fuit mensibus decem, & post Constantii  
mortem cum gloria reuersus ad sedem beati Petri apo-  
stoli, fecit basilicas duas, vnam iuxta forum, & aliam via  
Flaminia: & cœmeteria tria, vnum via Flaminia, aliud via  
Aurelia, & aliud via Portuensi. Hic constitutum fecit,  
vt nullus clericus causam quamlibet in publico ageret, ni-  
si in ecclesia, & vt notitia quæ omnibus fidem facit, per  
notarios colligeretur, & vt omnium monumentorum in  
ecclesia confectio per primicerium notariorum celebra-  
retur, siue quod cautiones, vel instrumenta, vel donatio-  
nes, vel commutationes, vel traditiones, aut testameta,  
vel colligationes, aut manumissiones clericorum in ec-  
clesia per \* scrinium sanctum celebrentur. Hic fecit ordi-  
nationes tres in vrbe Roma per mensem Decembrem,  
presbyteros octodecim, diacones tres, episcopos per di-  
uersa loca nouem. Qui etiam sepultus est via Aurelia in  
cœmeterio Calepodii, pridie Idus \* Aprilis. Et cessauit  
episcopatus dies viginti quinque.

\* scruti-  
nium

\* Augu-  
sti.

NOTÆ.

\* Iulius. ] Vigesima sexta die Octobris, anno Domini 336. qui est Iulius quo-  
Constantini imperatoris vltimus, Iulius ciuis Romanus pontifica-  
tum ecclesiæ adeptus est. Cuius initio Constantinus imperator cat-  
tholicæ & orthodoxæ fidei confessor e vita discedens, tres filios  
hosce, Constantinum, Constantium, ac Constantem imperii sui he-  
redes reliquit: hoc iis moriturus præcipiens, vt Athanasium, quem  
Concil. Tom. 2. Aaaa ij

to anno  
pontifica-  
tū adeptus.  
Obitus  
Constanti-  
ni.



non tam relegasset, quam sanguinolentorum hostium oculis ad tempus subtraxisset, tuto in pristinum locum ac dignitatem restituerent. Quam voluntatem patris Constantinus iunior, Constantii permisso, executus fuit, ipsumque Athanasium cum reliquis exulantibus episcopis ac presbyteris sedibus suis & ecclesiis restituit. Quo facto, cum Ariani & Eusebiani hæresim suam succumbere viderent, non modo Athanasium nouis calumniis onerarunt, verum etiam ipsam Nicænæ fidei formulam, omisso *Consubstantialis* nomine immutare, Ariique hæresim in ecclesiam introducere elaborarunt. Quod vt facilius expedirent, presbyteri alicuius Ariani, penes quem Constantinus magnus sualu sororis Constantiæ testamenti tabulas Constantio reuertenti tradendas deposuerat, auxilio freti, principis ambitiosi gratiam & fauorem impetrarunt: ac deinde catholicis episcopis, maxime vero Athanasio Alexandrinæ, Eustathio Antiochenæ, Paulo Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopis bello atrocissimo indicto, cruenta tela & iacula in eos immittunt, calumnias nouas comminiscuntur, habitisque desuper malignantium conuenticulis, innocentes episcopos condemnatos sedibus suis exturbarunt, ac tandem vel exilio vel morte truculenta eosdem interemerunt, & quod fœdissimum est, Nicænæ fidei symbolum, *Consubstantialis* nomine expuncto, malitiose vitiarunt. Ad hanc iniuriam a capite diuini Numinis & sponse illius ecclesiæ propulsandam, Iulius pontifex se talem defenforem exhibuit, vt omnis eius pontificatus in fide Nicæna tuenda, & catholicis episcopis, maxime autem Athanasio, defendendis, consumptus fuerit. Quod patebit infra ex notis ad epistolas & Concilia sub Iulio habita.

Athanasius  
ex exilio  
reuocatus.

Ariani quid  
fecerint?

Iulius fidei  
Nicænæ &  
Athanasii  
defensor.

Quamdiu  
fuerit.

*Sedit annos 15. menses 2. dies 18.* ] Qui anno Christi 352. pridie Idus Aprilis ex hac vita ad Dominum migravit, reperitur sedisse annis 15. mensibus 5. diebus 17. ita Baronius, Vaticanos indices secutus, hic num. 1.

Quod Hieronymi chronic. Liberii ingressum referat in hunc annum, confirmat ea quæ paulo ante de obitu Iulii diximus.

Iulius an  
exul fuerit?

*Hic post multas tribulationes in exilio fuit mensibus decem.* ] Iulium pontificem pro exulibus episcopis, Athanasio, Marcello, aliisque pluribus restituendis, multos labores impendisse, infra multis in locis patebit: ipsum vero aliquo tempore exilium sustinuisse, præter Platinam, errorem libri pontificalis sequentem, nemo, quod sciam hæcenus, asseruit. Quod ait post obitum Constantii ab exilio liberatum fuisse, nequaquam sustineri potest: omnes enim, quotquot sunt scriptores Christiani, sicut & ex gentilibus Ammianus, aperte scribunt, viuente adhuc & imperante Constantio, Liberium Romanæ ecclesiæ curam egisse, ac post multas exagitationes ab eodem in exilium relegatum fuisse. Quod si verum est, imprudens compilator aduertat, quomodo se ex hoc laqueo exerat. Ad annum Christi 350. magnus ecclesiæ catholicæ & sanctorum præsulum patronus, terribilis Arianorum hostis, princeps integerrimæ fidei, exulantium

Libri pon-  
tificialis er-  
ror.



ex oriente episcoporum vindex, Constans imperator occidentis imperium tenebat, non video qua ratione, hoc defensore adhuc superstite, Iulius pontifex relegari potuerit. Post occisum Constantem imperatorem, Magnentius tyrannus cum Vrbe toto occidentali imperio potiebatur: vel igitur auctore Magnentio Iulium relegatum fuisse oportuit, quod nemo haecenus scripsisse legitur; vel concedendum est, eundem Constantii imperio nequaquam ab Vrbe extractum, in regiones exteras amandatum fuisse. Vide Baron. anno 352. num. 2. & 3.

EPISTOLÆ IULII PAPÆ I.

**D**E scriptis & epistolis Iulii Gennadius de scriptoribus ecclesiae cap. 2. hæc ait: *Iulius urbis Romæ episcopus scripsit ad Dionysium quemdam de incarnatione Domini epistolam unam, qua illo quidem tempore utilis visa est aduersus eos qui ita duas per incarnationem asserbant in Christo personas, sicut & naturas. Nunc autem perniciofa probatur: fomentum enim est Eutythiana & Timotheana impietatis.* Ita Gennadius, qui epistolam illam Apollinaris, Iulio pontifici falso & malitiose adscriptam, non tam legisse quam nomine saltem audiuisse conuincitur, ex eo quod eam aduersus Nestorianos impugnandos maxime utilem esse scribat, quæ vere eorumdem de duabus in Christo personis errorem ex proposito confirmat. Accuratus igitur eam perspectam habuerunt Euagrius & Leontius, quorum ille lib. 3. cap. 31. de Nestorianis hæreticis agens, hæc scribit: *Sanctorum patrum libros sæpe deprauarunt, multosque Apollinaris libros, Athanasio, Gregorio Thaumaturgo & Iulio, in inscriptionibus commutatis, attribuerunt, quibus quidem libris plurimos in suum impium errorem induxerunt.*

An Iulius scripserit epistolam ad Dionysium Corinthi episcopum.

Gennadii error.

Apollinaris suis scriptis catholicorum nomina præfixerunt.

De eadem epistola accuratius & prolixius hæc Leontius in commentario de sectis act. 8. tom. 10. biblioth. sanctæ. *Afferunt, inquit, aliud quoque dictum velut a B. Iulio profectum, quod extat in epistola scripta ad Dionysium Corinthi episcopum, cuius initium est: Miror de quibusdam audiens, &c. estque dictum huiusmodi: Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare: ac in diuinam quidem baptizari, at in humanam non baptizari. Aliaque plura isthac epistola continet. Sed nos pluribus argumentis conuincimus, illam epistolam non esse beati illius Iulii, sed Apollinaris. Primum ex eo, quod si quis eam subtiliter consideret, nihil Iuliani dignum nomine habeat. Quoniam & septem illa epistola quas eius esse dicunt, Apollinaris sunt. Deinde quod in eadem epistola corporis mentione facta nusquam id mente præditum vel animatum dixerit: Erat autem in more patribus illius sæculi, quia Apollinaris Arium secutus, ut ex 6. act. Concilii secundi Nicæni constat, corpus Christi anima caruisse, & Verbum illi loco mentis fuisse docebat: idè, inquam, patribus illius sæculi in more erat, ut sic ubi corporis mentionem facerent, id ipsum mente præditum, animatum*

Leont. 4. rationibus probat epistolam Iulio afficta, Apollinaris fuisse.

Ratio I.

Ratio II.

Cur orthodoxi corpus Christi nominantes, illud mente præditum vel animatum appellarint.



que dicerent; quod quidem usque adeo verum est, ut reformidan-  
tibus eis hoc crimen, ideoque, deinceps illas voces *Mente pradium*  
& *animatum*, adiuciantibus, nulli posteriorum libri reperiantur, qui  
hanc veterem appendicem non habeant. Præterea de hoc quoque non  
Ratio III. beati Iulii, sed Apollinaris esse redarguitur, quod Nyssenus ille Grego-  
rius in opere contra Apollinarem aperte multa recitat, quæ hac epistola  
Ratio IV. continentur, eaque ceu prava refutet. Potest & aliunde conuinci, quod B.  
Iulii non sit. Aiunt enim actis Synodi Ephesinae sub B. Cyrillo insertam;  
quod quidem aperte mentiuntur: nam nihil ibi in textu tale reperitur, sed  
alia quadam inserta est epistola velut a Iulio scripta, nec ipsa Iulii, sed  
Timothei, quemadmodum ex multis exemplaribus intelligi potest. Hæc  
Leontius pro defensione Iulii. Vide Baron. anno 352. num. 4. & ali-  
quot sequentibus.

De duabus epistolis infra subsequenter, quarum altera est Aria-  
norum ad Iulium, altera Iulii ad Arianos scripta, lectori utile simul  
ac gratum fore existimauimus, si quod de iis sentit Baronius, breui-  
ter hic annotemus. *Extat epistola quedam*, inquit, anno 341. num. 59.  
Baronii de  
duabus epi-  
stolis Iulii  
sententia.  
*Arianorum nomine ad Iulium papam data, sed ut recte intuenti apparet,*  
*videtur esse ex his, quæ Socrates atque Sozomenus tradunt, confarcina-*  
*ta: nam quæ qualescunque essent eadem Eusebianorum ad Iulium scriptæ,*  
*eiusdem Iulii literæ ad eos redditæ, & ab Athanasio recitatæ, aperte si-*  
*gnificant: multa enim in illis desiderantur, quæ ex Iulii literis produntur*  
*ab iisdem scripta esse, compluraque inesse noscuntur aliter quam a Iulio*  
*relata sint, diuersasque cum ex nominibus, tum ex rebus prudens quisque*  
*indagator inueniet: ut merito ea ipsa, quæ ibidem habentur recitatæ, tunc*  
*a Iulio papa ad Arianos redditæ, eadem quoque suspicione laborent. Nam*  
*quæ veræ & legitimæ sint literæ Iulii ad illos rescriptæ, Athanasius, qui eas*  
*verbatim descripsit, recitatque in secunda sua apologia, absque contro-*  
*uerfia vlla declarat. Hæc Baronius præallegato loco.*

## EPISTOLA I.

INCREPATORIA IULII PAPÆ I.  
AD ORIENTALES EPISCOPOS  
pro causis Athanasii, & excessibus contra  
Romanam ecclesiam.

- |   |   |
|---|---|
| I. Quod soli Romano pontifici liceat<br>generale Concilium cogere, &<br>episcopos iudicare.                 | quas leges sæculi non admittunt,<br>repellantur.  |
| II. Non oportet præter senten-<br>tiam pontificis Romani Concilia<br>celebrare, vel episcopos dam-<br>nare. | IV. Si quis episcopum præter aucto-<br>ritatem sedis apostolicæ damna-<br>uerit, vel a sede expulerit, de<br>gradu suo deiciatur, & excom-<br>municetur; & episcopi electi re-<br>stituantur. |
| III. Ut accusatores & accusationes  |   |



Venerabilibus fratribus vniuersis orientalibus episcopis Julius.

**D**ECVERAT VOS, fratres, alios ecclesiasticis instruere disciplinis, & non talibus arguere machinamentis, dicente Ioanne Baptista: *Neminem conculcatis, neque calumniam faciatis*, & reliqua. De qua re & apostolus Paulus nos instruit, dicens: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris*, & reliqua. Et alibi Petrus apostolus ait: *Omnes vnanimes in oratione estote, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hereditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, & videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, & labia sua ne loquantur dolum. Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & sequatur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala. Quid peius est, fratres, quam ut sacerdotes Domini, qui ab omni mala coinquatione, & a nocumento omnium Christianorum, quanto magis a fratrum & coepiscoporum, alieni debent existere, quos tueri & subleuare ab insidiis debent, & quos fouere & diligere summopere oportet, persequantur eos, & communionem priuare decertent? Nec recordamini Sapientiam, quæ ait: *Peruersæ enim cogitationes separant homines a Deo*. Si peruersæ cogitationes separant homines a Deo, quanto magis opera iniqua? Quid enim nequius est, quam ut illos, de quibus Dominus ait, *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*, quisquam auertere, persequi, destruere nitatur? Probata autem virtus portat, protegit & consolatur oppressos, & docet insipientes. *Est enim Deus testis cordis hominis, scrutatorque verus singularum conscientiarum, & linguarum singularum auditor: quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis*. Et alias idem ipse ait: *Deus caritas est. In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut viuamus per eum. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis no-**

Luc. 3.

Gal. 6.

1. Pet. 3.

Psal. 33.

Sap. 1.

Zach. 2.

Gal. 7.

Psal. 17.

Sap. 1.

1. Ioan. 4.

\* Persequantur

\* humani



stris. Carissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus inuicem diligere. Deum nemo vidit unquam: si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus, & testificamur, quoniam Pater misit Filium suum, Saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo, & nos cognouimus, & credidimus <sup>caritatem,</sup> caritati, quam habet Deus in nobis. Deus caritas est, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta est caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicii: quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritate; sed perfecta caritas foras mittit timorem, quoniam pœnam timor habet. Qui autem timet, non est perfectus in caritate. Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a Deo: ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. Nam & ipsa sapientia ait:

*Prou. 15.* Lingua sapientium ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Domus iusti plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. Victimæ impiorum abominabiles erunt Domino: vota iustorum placabilia. Qui sequitur iustitiam diligitur a Domino.

*Prover. 10.* Item alibi: Labia iusti considerant placita: & os impiorum peruersa.

*Prou. 11.* Simplicitas iustorum diriget eos; & supplantatio peruersorum vastabit eos, iustitia rectorum liberabit eos, & in insidiis suis capientur iniqui. Iustus de angustia liberabitur, & tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicum suum, iusti autem liberabuntur scientia. In bonis iustorum <sup>exaltabitur</sup> exaltabitur ciuitas, & in perditione impiorum erit laudatio. Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas. Nec

*Iob. 29.* consideratis, qui fratres perfequi non cessatis, qualia Iob patientissimus, inter cetera exorsus, loquitur: Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum: & vestiui me sicut vestimento & diademate iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo:

pater



*Patereram pauperum: & causam quam nesciebam diligentissime* <sup>Iob. 31.</sup>  
*inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius aufe-*  
*rebam prædam. Et paulo post: Si negavi, inquit, quod vo-*  
*lebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci. Si comedi*  
*buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab in-*  
*fantia mea crevit mecum miseratio, & de utero matris meæ egressa*  
*est mecum.* Nam si quis hæc recto omnia considerauerit o-

culo, nequaquam <sup>\* fratribus</sup> fratres nocere, sed liberare festinabit, quia nihil deterius est, quam ciues ciuibus inuidere, & fratres fratribus insidiari, aut calumnias facere. Talibus enim refragari volentes insidiis patres sancti, Synodum congregauerunt generalem in Nicæa, vitam corrigere hominum cupientes in ecclesia commorantium. Licet dudum instituta sanctorum multa patrum essent conscripta, posuerunt leges, quas sacros Canones appellamus, quibus multa pernecessaria ad statum ecclesiæ sanctæ Dei, & supplementum columnarum eius, id est episcoporum, qui eam propriis humeris gestant, sunt decreta, & nocumenta eorum prohibita, ita vt qui talia agere tentauerint, aut eis nocere præsumperint, si quidem clerici fuerint, a proprio gradu decident, si vero monachi aut laici fuerint, anathematizentur. Quibus armati exemplis, oportere arbitrati sumus, ab omnipotenti Deo inspirati, vt hanc accensam discordiæ flammam extinguere apostolica debeamus auctoritate, & non concedere eam vterius animas depasci humanas. Quapropter vna cum omnibus apostolicæ subiectis regulæ sancimus, ne quisquam deinceps Christianorum talia perpetrare, aut episcopis temere nocere præsumat, cum & doctor gentium idipsum prohibeat, dicens: <sup>1. Tim. 5.</sup> *Seniorem ne incre-*

*paueris, sed obsecra vt patrem, & reliqua.* Bonum est namque procul dubio, & omnibus timentibus Deum desiderabile, cohibere dissensiones & altercationes, fratribusque subuenire, & inuicem non inuidere, sed adiuuare. Audite, inquam, iam factam in Nicæna ciuitate Synodum, cui & ego ipse conscientia meæ cultum decenter exhibui, nihil aliud volens quam concordiam omnibus fabricare, & præ cunctis arguere & remouere hanc insidiantium altercationem: quas præuidentes sancti patres insidias & illicitas altercationes, vnanimiter in prædicta Nicæna

*Concil. Tom. 2.*

B b b b

Ex his & sequentibus liquet plures 10. esse Nicæni Concilii Canones.



5. quæst. 4.  
Nullus epi-  
scopus.

statuerunt Synodo, vt nullus episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore apostolica auctoritate conuocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est, iudicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum a quibusdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica vlllo modo reputabitur.

## I.

Primates  
ecclesiæ  
Romanæ a  
Christo.

Math. 16.

Ipsi vero primæ sedis ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura & iudicia episcoporum singulari priuilegio euangelicis & apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper maiores causæ ad sedem apostolicam multis auctoritatibus referri præceptæ sunt. Nec vlllo modo potest maior a minore iudicari. Ipsa namque omnibus maior & prælata est ecclesiis, quæ non solummodo Canonum & sanctorum patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum. *Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & reliqua. Et quæcumque ligaueris super terram & solueris, erunt ligata & soluta in caelo & in terra.*

## II.

3. q. 6. Du-  
dum a san-  
ctis.  
In decretali  
epistola E-  
leutherii  
papæ, ac  
Victoris.

In 2. decret. A-  
nacleti pa-  
pæ, & in  
1. decret. A-  
lexandri  
papæ.

Habetur  
infra in de-  
cr. Iulii  
papæ, ad  
orientales  
episcopos  
pro Atha-  
nasio.

Porro dudum a sanctis apostolis successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hætenus sancta & vniuersalis apostolica tenet ecclesia, non oportere præter sententiam Romani pontificis Concilia celebrari, nec episcopum damnari, quoniam sanctam Romanam ecclesiam \* primatem omnium ecclesiarum esse voluerunt. Et sicut B. Petrus apostolus primus fuit omnium apostolorum, ita & hæc ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituyente, prima & caput sit ceterarum, & ad eam, quasi ad matrem atque apicem, omnes maiores ecclesiæ causæ, & iudicia episcoporum recurrant, \* eiusque iusta sententia terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni pontificem, quatenus non ita proterue, & pro libitu cuiuspiam, suo proprio arbitrio, quibusque metropolitanis, sicut agere solebant, liceat, incognito Romano pontifice, aut maiores ecclesiæ causas deturbare, aut episcopos damnare, sed communi sanctæ Romanæ sedis episcopi consilio & concordia actione quæque sunt Christi zelo agenda disponant vnanimiter, recteque sentiant, & ea quæ fenserint, non sibimet discrepando, sed Deo placita perficiat.

\* prima-  
tiam

\* & iuxta  
eius sen-  
tentiam



## III.

Est etiam in iam fata Nicæna concorditer statutum Synodo, accusatores & accusationes, quas sæculi leges non admittunt, a sacerdotali funditus auerti nocumento. *Ecce, Pfol. 132.* inquit Propheta, *quam bonum & quam incundum, habitare fratres in vnum.* Illi vero non in vnum habitant, qui a fratrum se solatio subtrahunt, aut fratribus insidias preparant. Non alieno vos, fratres, patiamini peccato grauari: quia quod necesse est, nos dicere veremur, id est, ne cuius religio dissipatur, indignatio prouocetur. Præ oculis habete, & tota mentis acie reuerenter aspiciate beati Petri gloriam, & cum ipso communes omnium apostolorum coronas, cunctorumque martyrum palmas, qui pro fratrum non destructione, sed confirmatione & veritate in Christo passi sunt.

## IV.

Nos ergo, qui Domini discipuli & dici & esse volumus, portare crucem Christi, & compati fratribus debemus, & non persequi. Subtrahite (rogamus) actus cogitationesque a talibus nocumentis, si non vultis ipsam in vos suscipere vltionem: quoniam talionem meretur qui fratri foueam præparat. Et nos scitote hunc typhum deinceps non esse passuros, vt ea quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent sedem, sicut iudicia episcoporum & maiores ecclesiæ causæ, vt paulo superius prælibatum est, vos patiamur nobis inconsultis inuadere absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die & deinceps episcopum præter huius sanctæ sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumperit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatū, & proprio carere perpetim honore, eosque qui absque huius sedis sunt eiekti sententia vel damnati, huius sanctæ sedis auctoritate scitote pristinam recipere cōmunionem, & in propriis restitui sedibus: quoniam & prius, a tempore scilicet apostolorum, hæc huic sedi sanctæ concessa sunt, & postea in memorata Nicæna Synodo, propter prauorum hominum infestationes, atque hæreticorum persecutiones, & insidiantium molimina fratrum, sunt concorditer ab omnibus corroborata, vt magis singuli \* prouideant, ne talia audeant perpetrare, & caueant, si non propter Deum & amorem fratrum, tamen propter opprobrium homi-

*Concil. Tom. 2.*

B b b b ij



25. qu. 2.  
Amputato  
totius vsur-  
pationis.

num, ruborem suum atque canonicam vltionem, saltem hæc timore & verecundia compressa, silentioque comprimantur, amputato scilicet totius vsurpationis excessu, quia nullus debet præsumere quæ sibi non videntur esse concessa. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si vnde consecrationem honoris accipitis, inde legem totius obseruantia sumeretis: & beati apostoli Petri sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiastica magistra rationis. Vnde sicut multum nos ea quæ a vobis pie recteque sunt acta lætificant, ita nimium ea quæ sunt perperam gesta contristant, quoniam necesse est post multarum talium experimenta causarum hæc in posterum sollicitius prospici, & diligentius præcaueri, quatenus ea, quæ sunt ab apostolis eorumque successoribus statuta, nulla desidia negligantur, nulla dissensione violentur, nulla concertatione turbentur. *Nam sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulcritudinem facit; & hæc quidem connexio totius corporis vnanimitatem requirit, sed præcipue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas communis non est, tamen ordo generalis est, quoniam & inter beatissimos apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cum omnium par esset electio, vni tamen datum est vt ceteris præmineret. De qua forma episcoporum quædam orta est distinctio, & magna ordinatione prouisum, ne omnes sibi omnia vindicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti sollicitudinem eius susciperent ampliolem, per quos ad vnam beati Petri sedem vniuersalis ecclesiæ cura conflueret, & nihil vsquam a suo capite diffideret. Qui ergo scit se quibusdam præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit etiam ipse dependat. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. Doctrinis variis & extraneis nolite abduci.* En instituta apostolorum & apostolicorum virorum Canonesque habetis, his fruimini, his circumdamini, his delectamini,

Rom. 12.

Plura ex his  
habentur  
in decretali  
epistola Vi-  
gilius papæ.

Hebr. 13.

Dist. 11.  
Nolite et-  
rate.



his armamini, vt his freti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta inimicorum iacula persistere valeatis. Satis enim indignum est quemquam vel pontificum, vel ordinum subsequendum, hanc regulam refutare, quam beati Petri sedem & sequi videat & docere. Multum enim conuenit, vt totum corpus ecclesiæ in hac sibi obseruatione concordet, quæ inde auctoritatem habet, vbi Dominus ecclesiæ totius posuit principatum, dicente scriptura: *Ordinate in me caritatem.* Et iterum: *Omnia cum ordine* Cont. 1. 1. Cor. 14. Psalm. 47. *fiant.* Iterumque Psalmista prædicante: *Circumdate Sion,* & *complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda vestra, in virtute eius, vt enarretis in progenies alteras, quoniam hic est Deus, Dominus noster in æternum, & ipse reget nos in secula.* Officii enim nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacere \* libertas, quibus maior cunctis Christianæ religionis zelus incumbit, nec per taciturnitatem aut fauere aut consentire videamur fratrum nocuentis. Data Kalendis Octobris, Feliciano & Maximiano viris clarissimis consulibus.

\* Deus

\* libertas

24. qu. 1. Officii nostri consideratione.

## NOTA.

\* *Epistola increpatoria Iulii.* ] Hanc epistolam Feliciano & Titiano consulibus datam anno Christi 337. ex prima Romana Synodo sub Iulio habita a pontifice nomine scriptam fuisse his rationibus sic factis euidentibus statuere licet. Primum eodem consulatu Feliciani & Titiani hæc epistola atque Romana Synodus consignata sunt. Secundo, quod de iniusta Athanasii & Marcelli Ancyrani condemnatione & relegatione facta redarguantur ab his, qui se hunc ob finem conuenisse in actis Synodi aperte profitentur his verbis: *Pro fratrum oppressione tractantes laboremus; quia dum illi tam grauiter affliguntur, nos nec respirare, nec quiescere possumus.* Anno Christi 336. Athanasium suis Conuentibus aliquoties condemnatum relegauerant: quæ cum citra Romani pontificis scitum & consensum contigissent, iure meritoque de nullitate facti, & ecclesiasticarum constitutionum violatione reprehenduntur. An citra Romani pontificis consensum & approbationem Concilia celebrare liceat, supra multis in locis attingimus.

Epistolam hanc esse Iulii probatur rationibus. Ratio 1. Ratio 2.



EPISTOLA ORIENTALIVM  
AD IVLIVM PAPAM I.

Causantur quod in communionem receperit Athanasium, & ceteros quos ipsi damnauerant.

*Domino beatissimo & honorabili patri Iulio, apostolicæ sedis venerabili episcopo, Eusebius, Theognius, Theodorus, & Berinthus una cum reliquis fratribus & coepiscopis nostris, in Antiochia congregatis.*

Prodit hæc  
epistola hæ-  
reticos fuisse  
qui eam  
scripserunt.

**L**ICET circa omnes Romanam ecclesiam sciamus esse munificam, & apostolicam habere curam, & semper matrem existere pietatis, quamquam ab oriente ad eam prædicatores pietatis aduenissent, tamen optarem vos nobiscum concordare, & quos a communionem suspendimus, a vobis esse suspensos: & quos in ordine confirmamus episcoporum, a vobis esse confirmandos: nec nos secundo loco habendos, cum ex his partibus ad vos vsque dogmatizantes apostoli peruenerint. Nec enim nos vestris resultauimus quamuis hoc agere potuissimus, quando Nouatianus a Romana pulsus est ecclesia, quoniam (vt iuxta vulgarem consuetudinem loquamur) *inimicitias querit omnis qui vult recedere ab amico*. Nec crimine carere potest, qui alterius excommunicatum, absque eius licentia, a quo communionem est priuatus, in communionem susceperit, Canonibus scilicet iubentibus, vt excommunicatus ab aliis, ab aliis non suscipiatur, viuentibus illis a quibus communionem priuatus esse dignoscitur. Nec solum in his nobis contumeliam irrogatis, sed etiam in his, quod Concilia nostra dissoluitis, neque ea rata finitis esse. Sunt namque a nobis, & maxime a totius orientis episcopis damnati, Athanasius Alexandrinus, Paulus Constantinopolitanus, Marcellus Ancyrae, Asclepius Gazæ, Lucianusque Hadrianopolites, pro certis criminibus, quibus aduersarii sunt apud nos inscripti, quæ per præsentem huius epistolæ lateres omnia sub certa relatione vestrae innotescere non omittimus sanctitati. Quibus agnitis, si nostris placitis magis quam eorum machinationibus assentire, & ordinatos episcopos in damnatorum loco firmare eligitis, pacem vobiscum & communionem habere volumus: si vero

Prou. 28.  
In Nicæna  
Synodo  
cap. 5. Et in  
Eliberita-  
no Concl.  
cap. 55.



aliter egeritis, & eis amplius, quam nobis assentire iudicaueritis, contraria celebrabimus, & vobiscum deinceps nec congregari, nec vobis obedire, nec vobis vestrisque fauere volumus, sed per nos, quidquid melius elegerimus, agere conabimur. Nam nullus est in hac parte terrarum atatem habens, qui ignoret prædictorum molimina seductorum, propter eos enim multa sunt mala peracta, multa Concilia diuersis & asperis temporibus celebrata, multæ seditiones, multæ machinationes, multa nobis opprobria illata, & alia multa quæ enumerare perlongum est. Nam si his consentire eligitis, tunc liquet quod nos perdere vultis, & non, vt pater filios, fouere. Dicunt enim & affirmant tam ciues istorum, quam etiam sacerdotes eorum, hos fouere vos velle homicidas, sacrorum templorum euerfores, virginum stupratores, sacrorum librorum incensores, sacrorumque vasorum, ac ceterorum sacrorum ministeriorum fraudatores, officiorum neglectores imperatorum infidos, gentis & patriæ proditores, & inter sacerdotes maximam generantes discordiam, eo quod consubstantialitatis vocem, quæ scripta non inuenitur, in fidei doctrina posuissent. Quid plura enumerare necesse est, cum propter eos nobis & cunctis huius regionis habitatoribus scientibus, tanta cædes hominum sit perpetrata, vt amplius quam mille homines sint prostrati? Talibus autem fauere quid aliud est, quam sceleribus eorum consentire, cum sacra scriptura hæc prohibeat, dicens: *Non solum qui faciunt culpabiles existunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Talibus enim vos obistere totis viribus oportet, ne inuoluamini in peccatis eorum, & excommunicationem eorum ne suscipiatis. Tales enim a vobis procul abiicite, ne propter animositatem talium hominum, infirmæ animæ & ignari populi, sacrilega diffensione dispereant. Itaque oportet vos improbis probe resistere. Quapropter si neglexeritis deturbare peruersos, liquet quod eorum protegatis errorem. Nec vero caret scrupulo societatis occultæ, qui \* manifeste facinoribus desinit obuiare. Decet enim vos ad arguendam proteruiam eorum linguam vestram exacueri, & velut venenosos a vobis repellere, ne eorum veneno vos vestrique in aliquo fauciemi. Igitur sufficiunt nobis querimonie

En vt agnoscent Romani pontificis primatum.

\* manifestis



contra eos delata, quoniam derelinquet nos tempus, se-  
 cundum quod ait Apostolus, si voluerimus omnium oblo-  
 quentium oblatas contra eos producere querelas, maxi-  
 me cum hæc nobis sufficiant quæ superius dicta sunt. Nec  
 nobis necesse est iterum eorum diuulgare mala, cum ipsa  
 per se prodeant, & maxime omnes orientales testes super  
 eorum malis existant. *In ore enim* (iuxta quod scriptum est)  
*duorum vel trium testium stabit omne verbum*: quanto magis in  
 multitudine tantorum sacerdotum & populorum, abba-  
 tum vel monachorum, in scripto & sine scripto contra  
 horum prauitatem nos quotidie vox acclamantium?  
 Nos vero diu expectauimus eos per multam patientiam,  
 vt crearent vuas, sed illi e contrario fecerunt labruscas.  
 Vos ergo non oportet de cetero negligere & differre ta-  
 les, ne (quod absit) memoratis criminibus eorum sub-  
 mittamini, irrationabiliter eos episcopos ponentes. Ipsi  
 enim, nisi cito corrigantur, iuxta quod beatus Apostolus  
 protestatur, *secundum duritiam eorum, & cor impenitens, the-  
 saurizant sibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicii Dei, qui  
 reddet unicuique secundum opera eius*. Qui corrigendi sunt, ne  
 per temporalem delectationem, & per mendacia atque  
 figmenta sua, vobis assensum præbentibus, æterna per-  
 dant præmia, quæ per veram pœnitentiam consequi po-  
 tuerunt. Nec hæc, quæ prædicta sunt, solummodo Atha-  
 nasio & sequacibus eius irrogamus, sed etiam quod con-  
 tra regulam egerit, quam nos decreueramus, quia non  
 decreto communis Concilii episcoporum recepit sacer-  
 dotium, sed sibimet arrogando ecclesiam fuisse ingres-  
 sus, & in sede resedisset, cum dudum decretum fuisset,  
 nullum a pauciore numero restitui debere, quam depofi-  
 tum fuisse constaret. Deinde, quoniam eius aduentu sit  
 turba generata, plurimique seditione sint mortui, & non  
 solum hæc per eum & propter eum sunt peracta, sed etiam  
 quidam iam a dicto Athanasio cæsi, iudicibus dicuntur ef-  
 se contraditi. Hæc & alia innumerabilia sunt ab eo suis-  
 que sequacibus impudenter perpetrata, quos excom-  
 municatos, communioni (vt audiuius) contra regu-  
 lam in contumeliam omnium orientalium sociastis. Præ-  
 fato itaque debitæ salutationis officio propter beati Petri  
 honorem impenso, postulamus, vt deinceps ad vestras  
 hinc

Hochzre-  
 ticorum ef-  
 se decre-  
 tum testa-  
 tur Iulius  
 in epistola  
 proxima.



hinc venientes aures non tam facile admittatis, neque a nobis excommunicatos ultra velitis excipere, ne Canonum transgressores inueniamini, sed magis salua fraterna caritate, erratum hoc in posterum minime patiamini.

*Et subscriptio:* Orantem pro nobis apostolatum vestrum Dominus auo custodiat longiore, beatissime pater. Amen.

## NOTA.

<sup>a</sup> *Epistola orientalem.* ] Ex epistola Iulii ad orientales scripta, quam recitat Athanasius apologia 2. quæque infra quarto loco hic subditur, certissime constat Arianos post Concilium Antiochenum acerbis, ac maiore cum fastu, superbia & contentione, quam decebat, scripsisse. Ita enim exorditur: *Legi epistolam vestram, quam mihi presbyteri mei Elpidius & Polyxenus attulerunt, &c.* Veram & germanam non exitare, præter auctoritatem Baronii anno 341. num. 54. illud asserentis, ea quæ supra in principio epistolarum Iulii annotaui, confirmant. Quæ hic secundo loco posita orientalium nomen præfixum habet, ex Sozomeno & Socrate ab incerto quodam auctore compilata esse videtur, tum quod multa desiderari, nonnulla etiam in rebus & nominibus in ea expressis variari aduerter, si eam cum responsoria Iulii, quam recitat Athanasius apologia 2. diligenter conferas. Vide quæ ex Baronio supra dixi initio epistolarum.

Ariani post Antiochenum Concilium ad Iulium scripserunt.

Epistola hæc an recte citata sit ab auctore.

## EPISTOLA II.

## SIVE

## RESCRIPTVM IVLII PAPÆ I.

Contra orientales, pro Athanasio & ceteris.

- |   |  |
|---|--|
| I. De vocatione orientalium episcoporum ad Iulium, & restitutionne damnatorum episcoporum ab ipsis. | vel actores ecclesie negotium habuerit.  |
| II. Vt episcopi accusati appellent sedem apostolicam.   | VIII. De episcopis rebus suis expoliatis, vel a sede sua pulsis.   |
| III. De eadem re.   | IX. De accusatoribus & testibus.   |
| IV. Si quis putat se grauari a proprio metropolitano.   | X. Si accusatus vel damnatus episcopus sedem apostolicam appellauerit, & de eis qui aduersus patres armantur, vel cum inimicis morantur. |
| V. De accusatoribus, vel accusationibus, quas sæculi leges non admittunt.                           | XI. De accusationibus clericorum.  |
| VI. Vt nullus episcopus alterius patriarchiam retineat, vel ordinet, &c.                            | XII. Quæ metropoles primates vocentur.   |
| VII. Si quis aduersus episcopum, Concil. Tom. 2.  | XIII. Quis sint infames.   |
|   | XIV. De causis episcoporum.  |

CCCC



- XV. *Vt non admittantur ad accusationem errantes, vel a proposito recedentes, siue Canonibus inobedientes.*
- XVI. *De peregrinis iudiciis.*
- XVII. *Vt nullus extra prouinciam vocetur ad iudicium, vel si quis iudices suspectos habuerit.*
- XVIII. *De se confessis, non esse credendum supra crimen alienum.*
- XIX. *De incertis non iudicandis.*
- XX. *De criminationibus maiorum natu.*
- XXI. *De prouinciali Synodo retractanda a papa.*
- XXII. *Si quis iudices maioris auctoritatis appellauerit.*
- XXIII. *Vt metropolitanus nihil agat sine consilio episcoporum, nec illi sine ipsius, nisi quantum ad proprias pertinet parochias.*
- XXIV. *Ne iudices in absentem proferant sententiam, & ut proditor non audiatur.*
- XXV. *De accusationibus clericorum.*
- XXVI. *De episcopis accusatis.*
- XXVII. *De iniusta episcoporum damnatione.*
- XXVIII. *Detractores & fautores inimicorum ab accusatione remouendos, nec maiorem a minore debere impeti, nec in re dubia certa iudicari sententia, & de iudiciis inordinatis.*
- XXIX. *Si possit episcopus a pauciori numero episcoporum restitui, quam fuerat damnatus.*
- XXX. *Si sit fugiendum episcopis causa persecutionis, & de priuilegiis apostolica sedis.*
- XXXI. *Quanta cautela iudicare oporteat, nec damnandum quemquam, priusquam accusatores presentes habeat, locumque defendendi accipiat.*
- XXXII. *Vltra prouincia terminos accusandi licentia non progreditur.*
- XXXIII. *Qui non debeant admitti ad accusationem.*
- XXXIV. *Nullum alterius iudicis, nisi sui sententia teneri, & quales debeant esse.*
- XXXV. *De episcopis rebus suis exspoliatis, vel a sede sua pulsis.*
- XXXVI. *Quod excommunicati episcopos non possunt accusare, nec illi qui eos in sua non recipiunt accusatione, nec maiorem a minore posse damnari vel iudicari.*

*Iulius sanctæ Romanæ & apostolicæ ecclesiæ episcopus Eusebio, Theognio, Theodoro, Berintho, & ceteris orientalibus episcopis.*

**D**ECVERAT VOS aduersus sanctam Romanam ecclesiam & apostolicam limare, & non ironice loqui, quoniam & ipse Dominus noster Iesus Christus eam decenter allocutus, ait: *Tu es, inquit, Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo clauēs regni cælorum.* Habet enim potestatem, singulari priuilegio sibi concessam, aperire & claudere ianuas regni cælestis, quibus voluerit. Nam si ei detrahere (quæ Domini ore sacrata atque desuper exaltata est) non renuistis, nec mirum si fratribus iniurias irrogare minime cessatis. Vnde iam silentio non teguntur quæ vestro in Concilio turbulenter atque cum tempestate decreta sunt.

*Matth. 16.*

*Iuo lib. 4.  
In decret.*

*\* cimel-  
stis,*



Apparet enim quoniam tumultuosa quadam indisciplina veritas est oppressa: vobis quippe inconsiderantibus quæ placent Deo, propter iurgia quæ contra proximos vestros habetis, & vota nostra inuincibilia esse contenditis. Sed erit opus diuinæ prouidentia, quatenus e contrario aperte deprehensa possint euacuari, & quidquid illic conuenientes, sine qualibet gratia, odio aut inimicitiarum causâ gessistis, funditus repelli. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad huius sanctæ sedis reuerentiam volo concurrere, quatenus gestorum apud vos integritatem per vosipsum possitis ostendere. Nam nec dubitare vos credo Athanasium sacræ legis doctorem non solum a nobis, sed etiam a Nicæna Synodo veræ fidei cultorem esse comprobatum, qui defuncto Alexandro mirabili sene, qui Arii prostrauerat blasphemias, post quinque menses Nicæni Concilii Alexandrinorum ecclesiæ suscepit præfulatum: aduersus quem eiusque sectatores multa mendacia texentes, & nudas valde calumnias quasi veras accusationes componentes, nobis multorum malorum eum causam & caput esse perhibuistis, & non solum apud Ægyptum, sed etiam apud Palæstinam, & Phœnicen, vicinasque gentes, scriptis vestris illum perturbatorem esse significastis. Qua de re ecclesiasticam sequentes regulam, vos & illos Romæ regulariter ad iudicium die statuta, non sub angusto temporis spatio (vt excusatio locum non inueniat) literis & apocrisiariis euocauimus: illique, vocatione suscepta, ad diem præstitutum venire, sed vos, ne vestris mendaciis caperemini, vestraque calumnia enudaretur, venire distulistis. Nec his machinationibus solummodo contenti estis, sed etiam videntes oues pastoribus desolatas, lupos pro pastoribus super eas posuistis. Decuerat ergo, vt ad regularem veniretis conuocationem, qualiter de his & de aliis vestris præsumptionibus veram redderetis rationem, quoniam occurreret veritas, si falsitas displiceret: & nullus dubitat quod ita iudicium nocens subterfugit, quemadmodum qui est innocens vt absoluat requirit. Nec suspitione caret qui alium calumniis derogat falsâ dixisse, cum ipse ad iudicium, vt probet quæ intulit, euocatus venire distulerit. Vellem enim vos ma-

*Concil. Tom. 2.*

Cccc ij

*In decret.  
Iuo lib. 4.*



gis ad iam dictam canonicam conuenire vocationem, vt coram vniuersali Concilio redderetis rationem, cur Synodum ad statum ecclesiarum & fratrum in Antiochia subuertendum, & Nicæni magni Concilii destructionem fecistis, aut cur nobis inconsultis episcopos in eam conuocastis, ad quam nec Maximus Hierosolymitanus venit, nec nostra interfuit legatio, Canonibus quippe in Nicæna Synodo iubentibus, non debere præter sententiam Romani pontificis vlllo modo Concilia celebrari, nec episcopos damnari: aut cur in prædictorum loco fratrum alios adueros posuistis, antequam penes nos aut apocrisarios nostros eorum causa canonicè esset examinata, finemque perciperet rectum. Isti enim qui ad memoratam regulariter venire vocationem, videntes vos a prædictis subtrahere calumniis, multa aduersus vos lacrymabilia & doloribus plena referunt, accusantes vos, & dicentes, multa se importabilia a vobis esse passos. Vobis ergo refugientibus venire, illisque perseverantibus in vera ratione, suasque calumnias reclamantibus, super quibus & Ægyptiorum episcopi literis nobis missis protestantur suis, falsa esse quæ contra Athanasium suosque sectatores machinantur, cunctaque Arianorum \* machinata, blasphemii & talibus plena figmentis, liquet eos esse inculpabiles, vosque culpabiles: quia si de vera confideretis innocentia, nullo modo a iam dicta vos canonica subtraheretis euocatione, quæ non subito, sed spatiosè denunciata est: sed omni subducta apologia, absque tardatione venire, & causas reddere festinaretis. Quibus ita gestis, scripsi vobis, & omnibus qui in Antiochiam contra apostolicam canonicamque regulam, nobis inconsultis, fueratis congregati, arguens vos primum de iniuriis literarum, deinde cur Athanasium suosque confectatores ad vestrum Concilium conuocassetis, Canonibus scilicet præcipientibus, nihil extra Romanum decerni pontificem, cui hæc & maiora ecclesiarum negotia, tam ab ipso Domino, quam ab omnibus vniuersorum Conciliorum fratribus, speciali (vt iam dictum est) priuilegio contradita sunt. Vobis vero refugientibus, & ad Concilium toties conuocatis, adesse nolentibus, illis quoque in sua reclamatio-  
ne & iusta ratione persistentibus, vestraque cognoscen-

In Nicæna  
Synodo, vt  
pater ex fe-  
quentibus  
huius epi-  
stolæ cap. 2.

\* machi-  
namentum.



res crimina, & illorum iustam examinantes rationem, omnesque eos Nicæno Concilio comperientes & nostris apostolicis iussionibus obtemperantes, visum est nobis ac vniuerso Concilio, vt nos diuinis præceptis & apostolicis monitis informati, qui pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilare debemus affectu, si quidquam reprehensionis vsquam inuenitur obnoxium, celeri sollicitudine ab ignorantia imperitia aut a præsumptionis vsurpatione reuocemus.

## I.

His taliter consideratis atque discretis, tamquam omnium curam gerentes, propter sedis propriae dignitatem, suscepimus eos in communionem, singulisque cum suis, auctoritate huius sanctæ sedis, rebus proprias reddidimus ecclesias, quoniam huic sanctæ sedi, propter prauorum hominum insidias, ipso Domino instituyente, & sanctis apostolis, eorumque successoribus per singula Concilia roborantibus, hoc semper licuit, licebitque, Domino auxiliante, in perpetuum. Vnde, qui se scit aliis esse præpositum, non moleste ferat aliquem sibi esse prælatum: sed obtemperantiam, quam ab aliis requirit, gratis & ipse dependat. Quapropter increpando vobis scribo, quia non recte tractastis viros inculpato, & a nobis minime examinatos, de suis ecclesiis communionem priuatos pellentes, & ecclesiasticae disciplinae iniuriam irrogantes, constitutumque Nicæni Concilii minime seruantes, talia indiscipline agere non formidastis. Idcirco quoniam dudum venire vocati renuistis, modo ad certum diem, id est quintodecimo Kalendas Nouembris, vos iterum regulariter literis missisque euocamus, vt coram vobis ostendamus nos iustam in eos protulisse sententiam, & de cetero non talia esse passuros. Est etenim in antiquis eccle-<sup>12. q. 2.</sup> <sup>Antiquis.</sup> siæ statutis decretum, vt aliena qui inuadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione restituat. Vnde & <sup>\* quid ali-</sup> <sup>quem</sup> in euangelio scriptum est: *Quod si \* aliquid defraudari,* <sup>Luc. 19.</sup> <sup>Dicit. 17.</sup> *reddo quadruplum. In lege quoque cautum est: Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus: Amen.*

Quare miror vos tam audaces esse, & tam impudenter egisse, & terminos ac iura beati Petri apostolorum



principis inuasisse. Sui enim ( vt paulo superius comprobatum est ) iuris erat , vt absque eius sanctæ sedis auctoritate , nullus deberet aut Concilia celebrare , aut episcopos ad Synodum conuocare , vel damnare eos , aut propriis pellere sedibus , aut alios in eorum loco ordinare , quæ omnia vos temerare non timuistis. Quid ergo est aliud talis præsumptio , nisi quod apostolorum eorumque successorum decreta transgredi , & maledictionem superius comprehensam , in lege scilicet cautam , quam omnis populus vno ore consonaque responsione per *Amen* , id est , fiat , confirmavit , suscipere non timuistis ? Nam ( vt reor ) talibus transgressionum funiculis constricti , nostrum , ne vestra proderentur flagitia , examen declinastis , & ad supradictam vocationem venire distulistis. Sane manifestum est suum eos confiteri crimen , qui toties euocati , absque ineuitabili causâ venire distulerunt , & purgandi se voluntate non vtuntur. Nam si de vestris dictis confideretis , etiam in faciem probare non distulissetis. Tales insidiatores spiritu præuidentes sancti patres in Nicæa congregati , leges statuerunt , quas nos Canones appellamus , ne facile prohi ab improbis damnarentur , ex quibus nonnullas sententias his inferi iudicauimus , vt tantorum patrum auctoritate nostra roboraretur epistola , atque omnes orientales , siue reliquarum partium episcopi hæc audientes , in tantam foueam non incidant , ne damnationem a patribus decretam percipiant. Sequuntur enim hæc ex prædicto Concilio Nicæno capitula , id est , 18. 19. 21. 23. 26. 27. 28. 33. 41. 5. & 7. & \* 9. ac 51. 52. 53. 54. 55. 57. 58. 59. 60. 61. 63. \* 66. \* 8. \* 67.

## II.

1. qu. 6.  
Omnes episcopi.

Vt omnes episcopi , qui in quibusdam grauioribus pulsantur vel criminantur causis , quoties necesse fuerit , libere apostolicam appellent sedem , atque ad eam quasi ad matrem confugiant , vt ab ea ( sicut semper fuit ) pie fulciantur , defendantur & liberentur. Cuius dispositioni omnes maiores ecclesiasticas causas , & episcoporum iudicia , antiqua apostolorum eorumque successorum atque Canonum auctoritas referuauit. Quoniam culpantur episcopi qui aliter erga fratres egerint , quam eiufdem sedis papæ fieri placuerit.



## III.

Placuit, vt accusatus vel iudicatus a comprouincialibus in aliqua causa episcopus licenter appellet, & adeat apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se, aut per vicarios suos, eius retractari negotium procuret. Et dum iterato iudicio pontifex causam suam audit, nullus alius in eius loco ponatur aut ordinetur episcopus, quoniam quamquam a comprouincialibus episcopis accusati causam pontificis scrutari liceat, non tamen definiri, inconsulto Romano pontifice, permissum est, cum beato Petro apostolo, & non ab alio quam ab ipso dictum sit Domino: *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis: & quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Matth. 16.

## IV.

Si quis putauerit se a proprio metropolitano grauari, apud primatem diœceseos, aut penes vniuersalis apostolicæ ecclesiæ papam, iudicetur. 2. qu. 6. Si quis putauerit.

## V.

Accusatores & accusationes, quas leges sæculi non adfciscunt, & nos vnanimiter submouemus. Nec fiat in di- 3. qu. 5. Accusatores. stricta probatione impietas, cum recta sit iudicii in electione sententia.

## VI.

Nullus episcopus alterius parochianum præsumat retinere, aut ordinare absque eius episcopi voluntate, vel iudicare, salua tamen in omnibus apostolica auctoritate: quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita & diiudicatio: quoniam censemus nullum alterius iudicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.

## VII.

Si quis erga episcopum, vel actores ecclesiæ, se proprium habere crediderit negotium, non prius adeat iudices, quam ad eos recurat caritatis studio, vt familiari colloquio commoniti, ea sanare debeant quæ in querimoniam deducuntur. Quod si aliter egerit, communionem priuetur. 2. q. 7. Si quis erga. & in decret. Alex. pap.

## VIII.

Nemo pontificum deinceps aliquem episcopum suis expoliatum rebus, aut a sede pulsum, excommunicare 2. q. 2. Nullus potest conuocari.



aut iudicare præsumat; quia non est priuilegium; quo possit spoliari iam nudatus.

## I X.

Pari tenore decernimus, non credi accusatori, qui absente aduersario causam suggerit ante vtriusque partis discussionem. Nec accusatores vel testes suscipi, qui non sunt idonei.

## X.

6. qu. 1. Sa-  
cer. qui.

Placuit, vt si accusatus vel damnatus episcopus appellauerit Romanum pontificem, id statuendum, quod ipse iuste censuerit. Et omnes qui aduersus patres armantur, infames esse censemus: neque eos, qui cum inimicis morantur, ad accusationem vel ad testimonium recipiendos.

## X I.

Idem habe-  
tur in decret.  
epist. 1. Sixti  
papæ I.

Placuit, vt semper in accusatione clericorum, primo persona, fides, vita & conuersatio blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino est credendum, quia veritatis fidem ignorant, nec rectæ conuersationis vitam ducunt: quoniam tales & facile & indifferenter lacerant & criminantur recte & pie viuentes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo & corrigenda, neque accusatoribus suspectis, & de inimicorum domo prodeuntibus est credendum.

## X II.

Idem habe-  
tur in 1.  
epist. decret.  
Clem.  
papæ, & in  
2. epist. de-  
cret. Anacle-  
ti papæ.

Quod non alia metropolitana ecclesia, vel primates sint, nisi illa, quæ prius primates erant, & post Christi aduentum, auctoritate apostolica & synodali primatum habere meruerunt. Reliquæ vero non primates, sed metropoles vocentur, eorumque episcopi, non primatum, sed aut metropolitano, aut archiepiscoporum nomine fruuntur.

## X III.

Infames esse censemus omnes, qui suam aut Christianam præuaricantur legem, aut canonicam postponunt auctoritatem.

## X IV.

Saluo in omnibus Romana ecclesia priuilegio, nullus metropolitanus absque ceterorum omnium com-  
prouincialium episcoporum instantia, aliquorum audiat  
causas



causas eorum, quia irritæ erunt, imo & causam in Synodo pro facto dabit.

## XV.

Alienis erroribus sociatum, vel a sui propositi tramine recedentem, aut sacris Canonibus inobedientem, suscipere non possumus, nec impetere recte credentes, vel sanctorum patrum sanctionibus obtemperantes, permitimus.

## XVI.

Peregrina iudicia generali sanctione prohibemus, quia indignum est, ut ab exteris iudicentur, qui comprouinciales & a se electos debent habere iudices.

## XVII.

Salua apostolicæ ecclesiæ auctoritate, nullus episcopus extra suam prouinciam ad iudicium deuocetur: sed <sup>\* vocato</sup> euocatus ipse canonicè, in loco omnibus congruo, tempore synodali, ab omnibus comprouincialibus episcopis audiatur, qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam; quoniam si hoc minoribus, tam clericis quam laicis concessum est, quanto magis de episcopis seruari conuenit? Nam si ipse metropolitanum aut iudices suspectos habuerit, aut infensos fenderit, apud primates dioceseos, aut apud Romanæ sedis pontifices iudicetur.

## XVIII.

Nemini de se confessio credi potest super crimen alienum, quoniam eius atque omnis rei professio periculosa est, & admitti aduersus quemlibet non debet.

## XIX.

Incerta nemo vnquam pontificum iudicare præsumat, quia quamuis vera sint, non tamen credenda, nisi quæ manifestis indiciis comprobantur, nisi quæ manifesto iudicio conuincuntur, nisi quæ iudiciario ordine publicantur.

## XX.

Criminationes maiorum natu per alios ne fiant nisi per ipsos qui crimina intendunt, si tamen ipsi digni & irreprehensibiles apparuerint, & actis publicis docuerint, omnise carere suspicione atque inimicitia, & irreprehensibilem fidem atque conuersationem ducere.

Concil. Tom. 2.

D d d d



## XXI.

Et prouincialis Synodus retractetur per vicarios Urbis Romæ episcopi, si ipse decreuerit.

## XXII.

Et in Con-  
cil. Carth.  
III. cap. 10.  
2. q. 6. Pla-  
cuit, vt a  
quibuscum-  
que.

Placuit, vt a quibuscumque iudicibus ecclesiasticis ad alios iudices ecclesiasticos (vbi est auctoritas maior) fuerit prouocatum, audientia non negetur.

## XXIII.

Matth. 20.

Marc. 10.

Si quis metropolitanus episcopus (nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam) sine consilio & voluntate omnium comprouincialium episcoporum, aliquid agere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit, & quod egerit irritum habeatur & vacuum. Sed quidquid de comprouincialium episcoporum causis, suarumque ecclesiarum & clericorum atque sæcularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omni consensu comprouincialium agatur pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare*: Et alibi: *Qui maior est vestrum, erit minister vester*, & reliqua. Similiter & ipsi comprouinciales episcopi, cum eius consilio (nisi quantum ad proprias pertinet parochias) agant, iuxta sanctorum constituta patrum, vt vno ore, vno animo concorditer sancta glorificetur Trinitas in sæcula.

## XXIV.

3. q. 9. Ca-  
ueant iudi-  
ces.

Caueant iudices ecclesiæ, ne absente eo, cuius causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit; quippe & rationem pro actione reddent in Synodo, & vt proditoris calumnia, nec eorum postea vox audiatur. Nemo enim debitorem amplius potest cognoscere, quam ille, qui iniuriam eiusque sustinet nequitiam.

## XXV.

3. q. 6. Si  
quis cler.

Si quis super quibuslibet criminibus clericum pulsandum crediderit, in prouincia, in qua ille consistit qui pulsatur, suas exercent actiones. Nec æstimet eum accusator suus alibi, aut longius pertrahendum ad iudicium. Illi vero qui pulsatus fuerit, si iudices suspectos habuerit, liceat appellare.

## XXVI.

Primates accusatum discutientes episcopum non ante



sententiam proferant damnationis, quam apostolica fre-  
ti auctoritate, aut reum se ipse confiteatur, aut per in-  
nocentes & canonicè examinatos regulariter testes con-  
uincatur.

## XXVII.

\* cense-  
mus,

Irritam esse iniustam episcoporum damnationem \* de-  
cernimus, & idcirco a Synodo retractandam, ira vt op-  
pressis ab omnibus in cunctis subueniatur causis.

3. q. 6. Irrit-  
tam.

## XXVIII.

Detractores qui diuina auctoritate eradicandi sunt, &  
fautores inimicorum, ab episcopali submouemus accusa-  
tione. Similiter, ne summorum quispiam minorum accu-  
sationibus impetatur aut dispereat; neque in re dubia de-  
tur sententia, nec vllum iudicium, nisi ordinabiliter habi-  
tum, teneatur.

3. q. 4. De-  
tractores  
quoque.2. q. 7. Ma-  
iorum quis-  
piam.

## XXIX.

Plura de his ideo hic non inferimus, ne vacuare vi-  
lemve prædictam facere Synodum videremur, aut fasti-  
dium legentibus audientibusque prolaxa faceret epistola.  
Si quis autem de his ampliora atque abundantiora scire  
voluerit, in sacro nostræ ecclesiæ sedis scrinio & ea quæ  
prædiximus inuenire poterit. Verum me dixisse testis est  
diuinitas. De receptione vero sedis, & sacerdotii, atque  
honoris, quæ dixistis Athanasium absque Concilii de-  
creto suscipere, non ita inuenimus sicut calumniati estis:  
sed quorundam episcoporum consilio atque decreto re-  
cepit suum quod iniuste perdiderat sacerdotium, ac re-  
fedit in sede. Quod enim scripsistis, non eum posse a pau-  
ciore numero episcoporum restitui, quam depositus fue-  
rat, non ita est; nec hæc regula orthodoxorum sanctæ ec-  
clesiæ est episcoporum; sed Arianorum, sociorum vide-  
licet vestrorum, hæc adinuentio ad perditionem ortho-  
doxorum episcoporum contexta est. Nam, vt nobis a  
veracibus est testibus relatum, quando Antiochiæ pro  
damnatione fidei de consubstantialitate prolata fuistis  
congregati, odio prædicti Athanasii hanc regulam protu-  
listis, quæ nullas habet vires, nec habere poterit; quo-  
niam nec ab orthodoxis episcopis hoc Concilium actum  
est, nec Romanæ ecclesiæ legatio interfuit, Canonibus  
præcipientibus sine eius auctoritate Concilia fieri non

Dist. 17.  
Regula ve-  
stra nullas.*Concil. Tom. 2.*

Dddd ij



debere. Nec vllum ratum est aut erit vnquam Concilium, quod non fultum fuerit eius auctoritate.

XXX.

Igitur de fuga, super qua Athanasium reprehenditis, non \* bene agitis, cum ipse Dominus mandatum hoc no-<sup>\* recte</sup> bis dederit. *Cum persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Et ipse Dominus, per semetipsum exemplum nobis \* demonstrans, quando Pharisei Concilium fece-<sup>\* demon-</sup> runt aduersus eum, vt eum occiderent: *Sciens autem Ie-* <sup>strauit,</sup> *stratus, discessit inde.* Et alibi: *Tulerunt lapides Iudæi, vt iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Et transiens per medium eorum, abiuit, & ita discessit.* Nam & discipuli propter metum Iudæorum recesserunt, celantes semetipsos. Et Paulus in Damasco a principe gentis quæsitus, de muro in sporta depositus est, & manus quærentis effugit. Et alii quamplurimi & innumerabiles sancti, tam in veteri testamento, quam in nouo, fugisse leguntur. Si ergo fugam impropertis fugientibus, erubescite potius persequi, & quiescite insidiari, quiescentque continuo fugientes. Nam siue perimatis eos, mors semper contra vos exclamat: siue rursus exilia superponatis, vbique in vos mali memoriam destinare noscimini, & illi patiendo sibi proficiunt. Vnde & Dominus ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Multos enim cognouimus pessimis machinationibus iniuste depositos: ideo summo-<sup>\* mibi,</sup> pere \* a me, cui vice apostolorum principis vniuersalis ecclesiæ cura commissa est, prouidendum est, auxiliante ipso summo Apostolo, ne deinceps talia fiant: quoniam ideo huic sanctæ sedi præfata priuilegia specialiter sunt concessa, tam de congregandis Conciliis & iudiciis ac restitutionibus episcoporum, quam & de summis ecclesiarum negotiis, vt ab ea omnes oppressi auxilium, & iniuste damnati restitutionem sumant, & talia ab improbis ne præsumantur absque vltione, nec exercentur absque damnatione. Non ergo recte egistis, quod prædictos fratres calumniati estis, dicente Domino: *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum.* Nec recte egistis, quod nobis inconsultis Concilium celebrastis,

Matth. 10.

Matth. 12.

Ioan. 8.

Luc. 4.

2. Cor. 11.

Matth. 10.

2. q. 6.  
Ideo huic  
sanctæ sedi.

Leuit. 19.



eosque ad Concilium vocastis, & damnare præsumpsistis, Canonibus (vt præmissum est) iubentibus, nihil ex his absque huius sanctæ sedis auctoritate fieri debere. Non recte egistis, quod regulariter a nobis ad Concilium vocati venire distulistis. Non recte egistis, quod contra eos rationem reddere, vt vestra erga eos aut probaretur recta sententia aut improbaretur, non venistis, nec rationalem mandastis causam, vt quid hæc renuistis.

His ergo omnibus perpensis, manifestum est vos reos existere, & illos innocentes remanere: & vos recte excommunicatos, illosque iuste liberari. Noluit itaque Dominus tam leuiter suos tractari ministros, sicut facitis; aut a vobis damnari, sed (sicut memoratum est) aut ab hac sancta sede, cui commissi sunt, aut suo referuari iudicio.

Ait enim: *Qui vos contristabit, me contristabit. Qui fecerit iniuriam vobis, recipiet id quod inique gessit.* Et quanta pœna expectet eos qui Domini scandalizant discipulos, euangelium sufficienter exponit, vbi de scandalizantibus discipulos loquitur. Nam quod a vobis non sint damnandi, sed aut ab hac sancta (vt præfatum est) sede, aut sibi referuandi, ipse manifeste dat exemplum, quando peccantes sacerdotes, quorum locum modo in sancta ecclesia tenent episcopi, non per alium, sed *per semetipsum vendentes & ementes eiecit de templo, & mensas nummulariorum proprio euertit flagello, & eiecit de templo.* Et ipse alibi ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit,* & reliqua talia & his similia. Et alibi idem ipse ait: *Nolite iudicare, vt non iudicemini, nolite condemnare, vt non condemnemini. In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini.*

## XXXI.

Quapropter non tam temere (vt vos facitis) quispiam suam præsumat euomere iniquitatem, sed iudicantem cuncta oportet rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, nec de illis, quæ ei inconcessa sunt, vlllo modo iudicium præsumere interrogandi ac proponendi adiiciendique, patientia præbita ab eo, vt ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec \* prius litigantibus sua velit sententia obuiare, nisi quando illi, peractis omnibus, iam nihil amplius habuerint in quæstione quod proponant. Nec oportet quemquam iudicari aut damnari, antequam suos

\* prius  
iudex

In decret.  
Iuo. lib. 4.

Et in 2.  
epist. Ste-  
phani P. II.

Dddd iij



accusatores præſentes habeat, locumque defendendi accipiat ſpatioſum ad abluenda crimina.

## XXXII.

2. q. 6. Ultra  
prouincia-  
rum. Et in  
2. epiſt. de-  
cret. Ste-  
phani Pa-  
pæ I.

Similiter in iam fata Synodo ſtatutum eſt, vt ultra prouinciæ terminos accuſandi licentia non progrediatur, niſi ad hanc apoſtolicam fuerit ſedem prouocatum, ad quam omnes qui voluerint libere, & abſque vlllo impedimento  
\* a quibuſdam agendo, confluere debent.

\* id eſt,  
quibus in-  
ferendo,

## XXXIII.

3. qu. 5. Si-  
militer in  
præfato.

Similiter in iam præfixa Synodo eſt decretum, ne ſuſpecti aut infames, aut criminofii, aut \* gratioſi, vel calumniatores, vel affines, aut ſclerati, aut facile litigantes, ſuſcipiantur accuſatores, ſed tales, qui omni careant ſuſpicionē, quia columnas ſuas Dominus firmiter ſtare voluit, nec a quibuſcumque agitari.

\* id eſt,  
adulato-  
res, vt ce-  
pant gloſ-  
ſa in præ-  
fatis capi-  
te.

## XXXIV.

1. quæſt. 1.  
Iudices au-  
tem alii.

Similiter ſtatuit præfata Synodus, vt nullum ſententia, niſi a ſuo iudice dicta, conſtringat. Iudices autem alii eſſe non debent, quam quos ipſe qui impetitur elegerit, aut quos ſuo cum conſenſu hæc ſancta ſedes, aut eius primates auctoritate huius ſanctæ ſedis delegauerint. Ex his enim & aliis quæ tam in hac ſancta ſede quam & ab apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ſunt ſtatuta, nihil præfatis epiſcopis conceſſiſtis, ſed vim eis inferentes, iniuſteque (vt ſuperius commemoratum eſt) eos damnantes, aliquos abſentes expuliſtis, quod omni Chriſtianæ religioni eſt inimicum. In quibus apparet, quod nec Domino ſua ſeruatiſti iura, nec huic ſanctæ matri & apoſtolicæ eccleſiæ, quæ (vt præſcriptum eſt) eos ſuo iudicio, aut huic ſedi voluit referuari, ne a tam prauis (ſicut eſtis) hominibus damnarentur aut eiicerentur, in his omnibus vos ſtultos & præuaricatores euangeliorum & Canonum eſſe, nulli ſane ſapientium eſt abſconditum.

## XXXV.

2. q. 2. Nul-  
lus poteſt  
conuocari.

Nec his contenti in veſtra eſtis præuaricatione, ſed etiam, quod prius expulſos eos, & ſuis expoliatos rebus, quaſi vocaſtis atque damnatiſtis, cum nullus regulariter aut vocari aut iudicari poſſit, antequam ſit regulariter reſtitutus, & ſua omnia ei legibus ſint integerrime reformata. Eſt namque in ſæpe iam dicta ſancta Synodo ab omnibus



unanimiter decretum, & apostolica auctoritate roboratum, ut si quis episcoporum suis fuerit rebus expoliatus, & in accusatione pulsatus, ordinatione pontificū oportet & decet sanctum propositum prima fronte cedere, ut omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, legaliter primo potestati eius ab honorabili Concilio redintegrentur, & præsul regulariter prius statui pristino reddatur, & ipse, dispositis ordinatisque suis, tunc ad tempus veniat ad causam, & si ita iuste videtur, accusantium propositionibus respondeat. Quare ergo transgressi estis terminos patrum, iudicantes & damnantes eos quos non debuistis? Quare iudicastis eos quos non regulariter approbastis? Non obseruastis quod in Regnorum libro scriptum est: *Non quomodo videt homo videt Deus, quia homo videt in facie, Deus autem in corde videt.* Et in Paralipomenon: *Omnia corda scrutatur Deus, & omnem cogitationem nouit.* Et alibi scriptum est: *Non potest humano condemnari examine quem Deus suo reseruauit iudicio.* Hæc omnia summopere præcauenda sunt, nec accusatio episcoporum facile est recipienda, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii.* Et Apostolus inquit: *Aduersus presbyterum inscriptionem non recipiendam, absque duobus vel tribus idoneis testibus.* Si hæc de presbyteris vel ceteris fidelibus sunt præcauenda, quanto magis de episcopis? Quibus cognitis, magis vos dominari velle manifestum est, quam consulere fratribus, aut sustentare eos, quia honor inflat ad superbiam: & quod prouisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Decuerat namque vos iuxta præfatas regulas, si aliquid egissent contra suum ordinem, mandare nobis, & expectare quid ad vestra consulta rescriberemus, intantum ut, si etiam quidquam graue intolerandumque committerent, nostra præstolaretur censura. Et nihil prius aut aliud decerneretis, quam quod nobis placere cognouissetis, ita ut a regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præsumptione recederetis. Cesset huiusmodi pressa nostra auctoritate præsumptio, vitentur huiusmodi nocumenta; quia nequam talia patienter ferre possumus machinamenta, quoniam conuenit nos paternarum sanctionum diligentes esse custodes. Merito namque nos causa respicit, si silentio faueamus errori.

2. qu. 2. Si episcopus suis fuerit. Et in decret. Eusebii papæ sententialiter.

Prov. 21.

1. Reg. 16.

2. Par. 18.

In decret. Iuo. lib. 4. 1. Cor. 41.

Exod. 23.

1. Timoth. 5.

ndi ac-

ra pro-  
ur, nisi  
d quam  
imento

suspecti  
nniato  
, susci-  
spicio-  
uit, nec

tentia,  
alii esse  
rit, aut  
us pri-  
nt. Ex  
am &  
, nihil  
es, in-  
nnan-  
nã re-  
Domi-  
tolica  
at huic  
omni-  
us vos  
m esse,

ne, fed  
rebus,  
alariter  
er resti-  
ormata.  
mnibus



r. qu. 7. In  
sancta Ni-  
czna.

Est insuper in prædicta sancta Nicæna Synodo statu-  
tum, vt nemo anathema in nostra suscipiatur accusatio-  
ne: nec illi qui nos in sua nolunt recipere querela vel accu-  
satione, cum nos super illos sciamus a Domino constitu-  
tos, non illos super nos. Et sicut maior non potest a mi-  
nori iudicari, ita nec colligari: quia rarum est omne, quod  
magnum est. Portamus onera omnium qui grauantur,  
quinimo hæc portat in nobis beatus apostolus Petrus, cu-  
ius vice fungimur legatione, & cuius regula informamur,  
quatenus eius fulti auxilio ab omnibus nunc & in perpe-  
tuum tueamur aduersis. Data Kalendis Nouembris, Feli-  
ciano & Maximiano viris clarissimis consulibus.

## N O T A.

An hæc epi-  
stola sit Iu-  
lii.

<sup>a</sup> *Rescriptum Iulii.* ] Hoc rescriptum Iulii cum ea responsoria epi-  
stola, quam ab Athanasio recitatam, infra statim subiunximus, par-  
tim conuenit, plurimum vero ab eadem differt. Cum vtraque Euse-  
bianos cum Athanasio ad Concilium Romæ anno 340. indictum ci-  
tatos esse referat; vtraque etiam Athanasium ad statutum diem ad-  
fuisse, Eusebianos autem contumaciter remansisse, enarrat; demum  
vtraque epistolæ illius, quam ab ipsis post celebratam Antioche-  
nam Synodum scriptam, postque Gregorium Cappadocem anno  
Christi 342. magna & horrenda Alexandrinorum strage introductū,  
superbe, fastuose, & contentiose scriptam fuisse refert, meminere,  
vtramque vnam eandemque Iulii epistolam esse oportet. Hanc men-  
dosam, corruptam, & a quodam ex diuersis compilatam: illam ve-  
ro, quæ ex Athanasio desumpta infra subditur, germanum exem-  
plar esse Iuliani ad orientales episcopos rescripti, dubium non est.  
Hanc mendosam esse & corruptam, consulatus Feliciani & Maxi-  
miani, infra hic in fine additus, aperte demonstrat. Si enim prædi-  
ctis consulibus scripta est, initio pontificatus Iulii, anno Christi 337.  
scriptam fuisse necesse est, atque ita non subsistit quod de Synodo  
Romana indicta, de Alexandrina seditione exorta commemorat.  
Vide quæ diximus initio epistolarum Iulii, &c.

EPISTO-



## EPISTOLA III.

## I V L I I P A P Æ I.

## A D O R I E N T A L E S.

In eadem causa Athanasii, ex apologia secunda Athanasii.

*Iulius Danio, Flacillo, Narcisso, Eusebio, Mari, Macedonio, Theodoro, ceterisque eorum qui nobis dilectissimis in Christo fratribus ex Antiochia scripserunt, salutem.*

**L**EGI epistolam vestram quam mihi mei presbyteri Elpidius & Philoxenus attulerunt, miratusque sum, cum a nobis ex vera dilectione & bona conscientia scriptum esset, contentiose a vobis, & non, ut decuit, rescriptum esse. Fastus enim & arrogantia scribentium in epistola apparebat. At qui aliena sunt ista a fide in Christum: decuit enim eum, qui cum dilectione ad vos scriberet, eandem vicissim dilectionem, non autem contentionem referre. Quid? an non dilectionis indicium erat, nos presbyteros misisse, qui compaterentur patientibus, & incitarent eos qui iudicium scriptis postulauerant, ut præsto esse vellet, quo primum omnia componerentur, & emendationem acciperent, ne diutius aut fratres nostri iniurias, aut vos calumnias pateremini? Nec scio cur vobis ita rem agere placuit, ut nos in hanc opinionem redigatis, ut arbitremur nos sub specie reuerentiæ pro ludibrio esse habitos, dictaque vestra irradientium fuisse, cum & presbyteros nostros ad vos missos, quos cum gaudio remissos oportuit, cum luctu remiseritis ob ea quæ istic geri conspiciebant. Ego certe, cum literas vestras euoluerem, post varias vltro citroque cogitationes, eas supprimendas putavi, ea spe quod crederem saltem aliquos ex vestris aduenturos, nec opus fore istiusmodi epistolis, ne, si illæ in publicum promerentur, multos hic dolore afficerent. Ceterum ubi nullus vestrum superuenerat, necessum fuit ut eas proferrem. Credite mihi, omnes admiratione pleni vix induci poterant ut crederent istiusmodi literas a vobis profectas esse, in quibus rixandi potius quam caritatis affectus eminebat. Quod si ambitione eloquentiæ ostendendæ ita exceptæ sunt a dictatore, id certe studium ad alios spectat. In rebus enim ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones apostolici requiruntur, operaque dari

Non eloquentia, sed Canones in ecclesiasticis rebus attendendi.

*Concil. Tom. 2.*

Eccc



Prima que-  
rela Euse-  
bianorum  
refutatur.

folet, ne quis ex paruis in ecclesia scandalizetur. Expedit enim, secundum ecclesiasticum verbum, molam asinariam suspendi a collo, atque ita demergi, quam vnum ex pusillis scandalizare. Quod si aliquibus in alios ob pusillanimitatem offensis (non enim omnium talem mentem fuisse arbitror) istiusmodi epistolam scribi placuit, primum decuit neminem offendi, neque solem occidere super huiusmodi offensis, certe eo res deduci non oportuit, vt offensiones suas scriptis proderent. Quid enim actum est dignum offensa? aut qua in re vobis, quibus scripsi, causam succensionis præbui? An quia adhortati vos sumus, vt ad Synodum occurreretis? At qui illud potius cum gaudio excipi oportuit. Qui enim bene sentiunt de iis quæ egerunt, & in quibus ipsi (vt aiunt) iudices fuere, non indignanter ferre solent, si quod ab ipsis iudicatum est, ab aliis excutatur, quippe qui securi sint, ea quæ ipsi iusta iudicauerunt, iniusta nunquam fieri posse. <sup>c</sup> Quocirca episcopi in magna Synodo Nicææ congregati, non sine Dei consilio permiserunt prioris Synodi acta in alia Synodo examinari, vt & illi qui iudices erant, præ oculis habentes secundum de ipsa re iudicium futurum, cum omni diligentia causam expenderent, & illi qui sententiam acceperant certo agnoscerent, se non per simultatem priorum iudicium, sed iure & merito condemnatos esse. Quod si istiusmodi consuetudo olim fuit, eiusque memoria renouata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non sinitis, rem profecto indecoram facitis. Morem enim, qui semel in ecclesia obtinuit, & a Synodo confirmatus est, iniquum est a paucis abrogari, quin ne hoc quidem concessio quidquã æqui habet vestra offensio. <sup>d</sup> Si quidem vestri legati, Macarius presbyter, & Hefychius Martyriusque diaconi, nullo modo, cum huc venissent, pares presbyteris ab Athanasio missis, ac semper ab illis conuicti, refutati que, Concilium indica nobis postularunt, literasque & ad Eusebianos & Athanasium Alexandriam, quibus conuocarentur, mitti, vt coram omnibus iusto iudicio de causa cognosci posset: tum enim se de Athanasio probaturos esse, quod iam nequirent. Publice enim coram nobis Martyrius & Hefychius refellebantur, Athanasii presbyteris bona cum fiducia alacriter resistentibus.

Quid actū  
Romæ per  
vtriusque  
partis lega-  
tos.

\* eiec-  
non fa-  
lam.  
singul



Martyrius vero cum suis, si vera dicenda sunt, vbique profligebatur, ac proinde Concilium generale postulauit. Si igitur Martyrio & Hesychio nullam Synodum postulantibus adhortator fuisset, vt ad Synodum qui ad me scripserant conuocarentur, idque in gratiam fratrum, qui se iniuriam pati conquerebantur, etiam vel ita æqua & iusta fuisset nostra cohortatio, cum ea sit & ecclesiastica & Deo grata: iam vbi iidem illi qui a vobis pro grauibus viris & fide digni habiti fuere, auctores mihi fuerint, vt vos conuocarem, certe id a vobis ægre ferri non debuit, sed potius alacriter ad citationem occurrere. Quapropter indignatio eorum qui hac citatione offenduntur, temeraria & tergiuersatio sistendi se in iudicio, inhonesti & suspiciosa videtur. An quispiam stomachari debet, si quæ ipse fecit, ab aliis fieri videat. \* Si enim, vt scribitis, Ariani decreta Nicæni Concilii irritare probantur. inconcussam habet auctoritatem quælibet Synodus, & contumeliose agitur cum iudice, cuius iudicium ab aliis examinatur, considerate quæso, dilectissimi, quinam sunt qui Synodum improbant, & qui aliorum iudicata rescindunt, ne singula excutiendo certos homines grauem. Certe id quod postremo gestum, cum sit horrendum auditu, sufficit ad cetera quæ a me omittuntur comprobanda. Ariani a beatæ memoriæ Alexandro quondam Alexandriae episcopo ob impietatem \* ad causam dicendam citati, non solum in eo iudicio a singulis ciuitatibus reiciebatur, sed ab omnibus simul, qui ad Nicænum Concilium coierant, anathemate feriebantur. Nihil enim erat in illorum delicto vulgare, neque in hominem peccauerant, sed in ipsum Iesum Christum Dominum nostrum Filium Dei viuentis: iidem tamen ita ab vniuerso orbe reiecti, & per omnem ecclesiam famosissime notati, nunc denuo in ecclesia (quod quidem triste vestris animis arbitramur) recipi perhibentur. Quinam igitur sunt qui Synodum vituperant, & trecentorum episcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt, nisi Ariomanitæ ab omnibus vbique episcopis condemnati & abdicati? Athanasius contra & Marcellus episcopi plurimos habent, qui verbis scriptisque suis eorum innocentiam tuentur. Marcelli enim fides confesioque Nicææ spectata est, cum Arianis contradiceret.

*Concil. Tom. 2.*

Eeee ij

\* cietti,  
non so-  
lum a  
singulis



Athanasius  
an Tyri  
condemna-  
tus.

Ibidem quoque Athanasii sinceritas in tuenda fide specta-  
ta fuit, <sup>f</sup> qui nec Tyri condemnatus est, nec Mareotæ præ-  
fens fuit, vbi contra eum absentem in lite processum est.  
Scitis autem, dilectissimi, monumenta actorum, vbi vna  
dumtaxat pars adfuerit, nullarum virium esse, & suspecta  
haberi. Nos tamen, quamquam ita actum esset, pro re  
certius cognoscenda, neque vobis qui contra eum, neque  
illis qui pro eo literas misere præiudicium facientes, co-  
hortati sumus omnes quotquot scripserant, vt præsentem  
se iudicio sisterent, quo omnia ad amissim, quia quam-  
plurimi pro vtroque scribunt, in Synodo examinari pos-  
sent, ne vel innocens condemnatur, aut qui rei sunt puri  
habeantur. Non igitur a nobis vilipenditur Synodus, sed  
ab illis qui quouis modo & temere Arianos ab omnibus  
condemnatos, contra sententiam eorum qui causam iudi-  
cauerunt, recipiunt: quorum plerique soluti iam a corpore  
cum Christo viuunt, alii adhuc in vita manentes indigne  
ferunt sua iudicia ita a quibusdam rescindi. Hæc ita esse  
ex iis quæ Alexandria acta suntprehendimus. Nam  
<sup>s</sup> Carpones quidam ab Alexandro ob Arianam hæresim  
cum quibusdam aliis eiusdem criminis reis olim citatus  
huc ad nos venit, missus a Gregorio. Idipsum quoque ex  
Macario presbytero, & Martyrio, & Hefychio diaconis  
didicimus, qui, antequam iudicio se sisterent Athanasii  
presbyteri, auctores nobis fuere, vt scriberemus Alexan-  
driam cuidam Pisto, quo tempore etiam dum Athanasius  
episcopus Alexandria versabatur. Hunc autem Pistum  
Athanasii presbyteri superuenientes docuerunt Arianum  
esse, & eo nomine, & ab Alexandro & Synodo Nicæna  
reum factum, gradusque ordinis sui a quodam Secundo,  
quem magna Synodus vt Arianum reiecerat, accepisse.  
His vero nec Martyrii quidem sodales contradicebant,  
neque Pistum a Secundo fuisse constitutum negabant.  
Videtis igitur vel ex hac causa qui potius in culpa ha-  
bendi sunt; nosne, qui persuaderi non potuimus vt <sup>b</sup> Aria-  
no Pisto literas scriberemus; an illi, qui mihi consilium de-  
dere, vt contempto magno Concilio ad impios hæreticos,  
veluti ad pios homines, literas darem. Certe Macarius  
presbyter, cum legatus ab Eusebio venerat, vbi audiuit A-  
thanasii presbyteros Pisto obistere, nosque eius præsentiam



non admittere, vna cum Martyrio & Hefychio, quamuis graui valetudine,<sup>i</sup> de nocte profectus est, vt non inconcinne diuinarem eum impatientia refutati Pifti fugam arripuisse. Impossibile enim est Secundi ordinationem, vtpote Ariani, vim vllam in catholica ecclesia habere: id enim vere ad Synodi, & ad episcoporum, qui in Synodo fuere, contumeliam vergeret, si quæ illi tanto studio & cura veluti Deo præfente egissent, a nobis vt vana futiliaque abrogarentur. Quod si igitur (quemadmodum scribitis) pro exemplis in Nouatum & Paulum Samofatensem editis decreta Synodorum obseruari oportet, certe minime oportuit calculos trecentorum episcoporum irritos haberi, aut catholicam Synodum a paucis contemni. Æque enim, vt illi Ariani hæretici sunt, & calculi contra istos dati paris sunt momenti cum calculis quibus illi damnati sunt. Tali igitur commissa audacia, quinam dicendi sunt flammam discordiæ accendisse, siquidem id nobis in vestris literis obiicitis. Nos scilicet discordiam induximus, qui compatimur cum patientibus fratribus, & omnia secundum Canonem facimus? An qui contentiose violato Canone trecentorum decreta præuaricantur, & per omnia Synodum contemptui habent? Cum non solum Arianos recipiant, sed iam in vsu habeant de loco in locum ad episcopatus capiendos transilire.<sup>k</sup> Si igitur vere parem eundemque honorem in omnibus episcopis censuris esse, neque magnitudine ciuitatum (vt vos scribitis) de episcopis iudicatis, oportuit eum, cui concredita est parua ciuitas, in ea quæ credita est permanere, & nequaquam reiecta concredita, ad eam quæ concredita non est transuolare: ne eam quæ a Deo data est aspernari, illam vero quæ hominum ambitu concessa est magnificare videatur. Oportuit igitur vos, dilectissimi, huc accedere, & nequaquam tergiuersari, vt res ad finem deducatur: id enim ratio requirit. Sed fortasse dies constituti temporis breuior, quam par erat, impedimento fuit: (nam huiusmodi in literis vestris querimoniam facitis) atqui illud, dilectissimi, pro mera cauillatione putandum est. Si enim aliquos in itinere dies oppressisset, arctitudo breuitasque temporis accusari potuisset. Iam cum illi qui nec ipsi venire voluerunt, & presbyteros suos vsque ad

Altera querela Eusebianorum.

Eccc iij



menssem Ianuarii, ne venirent, detinuerunt, liquide apparet istam causificationem eorum hominum esse qui sibi non satis confidunt: venissent enim, vt dixi, si de sua causa bene sperassent, non respectantes ad interuallum itineris, aut temporis constituti spatium, sed ex iure suo & rationibus fiduciam collegissent. Esto vt tempus in causa fuerit cur non venerint: id enim quoque in scriptis vestris significatis, cum dicitis æquum scilicet fuisse, vt respectu tantorum temporum, quæ venientibus ex oriente necessaria essent, veniendi citationem omitteremus. Si igitur, quia dies breuior fuit, iter omissum est, nequaquam oportuit iis ipsis temporibus vos præbere auctores schismatis, luctus & lacrymarum in ecclesia. Iam qui talia agunt ostendunt non tempora ipsorum perfectioni, sed conscientiam obstitisse. Admiror quoque eam partem epistolæ, & nescio quomodo hoc scribere potuistis, id vobis ægre esse, quod<sup>1</sup> Eusebio cum suis dumtaxat, & non itidem omnibus vobis literas scripserim, citius in hac expostulatione morositatem promptissimam, quam veri quid deprehendas. Ego enim cum non aliunde literas contra Athanasium accepissem, quam a Martyrio & Hesychio, necessario illis respondi qui scripserant contra Athanasium. Oportuit igitur non solum Eusebianos absque vobis scribere, aut vos, quibus non scripsi, non moleste ferre, si rescripserim illis qui mihi scripserant: nam si par erat ad vos omnes literas dari, par quoque erat & vos vna cum illis literas mittere. Nunc autem quod consentaneum erat respicientes, illis scripsimus qui nos certiores reddiderant, & literas misere. Quod si id vos commouet quod solis illis scripserim, consequens est vt indignemini quoque quod illi soli mihi scripserint. Verum in hoc ipsa iusta & rationalis causa est, dilectissimi, quam vobis intimandam puto. Nam tametsi solus sim, qui scripsi, non meam tamen solius sententiam, sed omnium Italarum, & omnium in his regionibus episcoporum scripsi. Ego autem omnes nolui scribere, ne a multis onerarentur: certe ad constitutum tempus conuenere episcopi, & eius sententiæ fuere, quam vobis iterum significo. Quapropter, dilectissimi, etiamsi solus scribo, scribere me tamen communem omnium sententiam vos scire volo. Hæc quidem a nobis aduersus non

Nona querela Eusebianorum.



æquas vestrarum hominum sed iniustas & suspectas cau-  
 sificationes dicta sunt. <sup>m</sup> Quod autem non temere aut  
 iniuste susceperim in communionem coepiscopos no-  
 stros Athanasium & Marcellum, etiamsi prius dicta suf-  
 ficiant, breuibus tamen ratio vobis istarum rerum de-  
 monstranda est. Scripsere prius Eusebius cum suis contra  
 Athanasium, scripsistis & vos impræsentiarum, scripsere  
 etiam plurimi ex Ægypto & ex aliis prouinciis episcopi  
 pro Athanasio: nam quod ante omnia obseruari oportet,  
 literæ vestræ aduersus Athanasium inter se pugnant, &  
 primæ cum secundis nullum concentum habent, sed in  
 plerisque primæ a secundis destruuntur, & secundæ a pri-  
 mis redduntur suspectæ, ex discrepantibus autem literis  
 nulla certitudo constitui potest. Quod si vestris literis fi-  
 dem dari postulatis, æquum est & literis eorum qui pro  
 eo scribunt fidem non abnegare, & maxime, quod vo-  
 bis a patria eius longe distantibus, illi qui in iisdem locis  
 cum Athanasio degunt, vt de homine noto, rebusque ibi  
 gestis certiores, probum testimonium de vitæ eius inno-  
 centia perhibent, affirmantes eum non nisi confectis cri-  
 minibus opprimi. Quin & Arsenius aliquando dictus ab  
 Athanasio interfectus, quem iam cognouimus in vita  
 esse, & cum Athanasio amicitiam fouere, is ipse affirmat,  
 ea quæ acta sunt Mareotæ, in absentia alterius partis acta  
 fuisse; neque enim ibi adfuisse Macarium presbyterum,  
 qui reatum sustinebat, neque episcopum eius Athana-  
 sium, & hoc non solum ex verbis eius, sed <sup>n</sup> ex monumen-  
 tis actorum per Martyrium & Hefychium allatis cogno-  
 uimus. Ea enim perlegentes, inuenimus accusatorem  
 Ischyram ibi præsto fuisse: Macarium autem & Athana-  
 sium nequaquam adfuisse, neque Athanasii presbyteros,  
 quamquam hoc ipsum magnopere sollicitantes, admissos  
 esse. Oportebat autem, dilectissimi, siquidem sinceriter  
 illud iudicium agebatur, non solum accusatorem, sed &  
 reum præsentem sisti. Et vt Tyri Macarius aderat reus, &  
 Ischyras accusator, vbi nihil criminum docere potuit: ita  
 quoque in Mareoten non solum oportuit accusatorem,  
 sed & reum quoque vna proficisci, vt vel præsens conuin-  
 ceretur, vel, si victus non esset, appareret eum calumniis  
 petitus fuisse: iam vero cum hoc factum non sit, sed solum

Athana-  
 sium iuste  
 absolutum  
 declarat.



ibi accusator steterit, cum iis quos ut suspectos Athanasius reiciebat, actorum illorum monumenta suspicione carere non possunt. Addebat præterea in sua querela, eos qui Mareoten profecti sunt, se inuito eo profectos esse: misere enim eo (ut ipse dicebat) Theognium, Marin, Theodorum, Vrsacium, Valentem, & Macedonium, homines suspectos: neque hoc ita esse solummodo verbis suis, sed literis quoque Alexandri Thessalonicensium episcopi demonstrabat: protulit enim epistolam illius scriptam ad Dionysium, qui in ea Synodo comes erat, quibus episcopus ille liquido declarat, Athanasium calumniis, & ipsius quoque accusatoris Ischyrae coniurationibus opprimi, veram manum & authenticam protulit, in qua ille testatur, Deum omnipotentem inuocans, neque calicis confractionem, neque mensæ subuersionem ullam fuisse, sed se subornatum esse a certis hominibus, ut hoc crimen confingeret: deinde dum huc excurrissent Mareota presbyteri, affirmarunt neque Ischyram esse catholicæ ecclesiæ presbyterum, neque tale quid commississe Macarium, quale illi imputabat. Quinimo presbyteri & diaconi cum huc venissent, non tenuerunt, sed prolixè testimonia dixerunt pro Athanasio, affirmantes nihil eorum quæ illi obiicerentur verum esse, eumque coniurationibus premi: quin & episcopi ex Ægypto & Africa in suis scriptis affirmarunt constitutionem Athanasii in suscipiendo episcopatu legitimam & ecclesiasticam fuisse, neque eadem commissam, neque quemquam per illum sublatum esse, neque poculum ullum confractum, sed omnia esse conficta. Et ex istis iudiciis in Mareota per absentiam alterius partis habitis, ostendebat Athanasius, vnum catechumenum in examinatione sui dixisse, se intus cum Ischyra fuisse, quo tempore Macarius presbyter Athanasii eo, ut aiunt, se in eum locum immisisset, alios item examinatos pro testimonio dixisse, Ischyram in cellula parua latuisse, alios eundem post ostium ægrotum eodem tempore decubuisse, quo Macarius superueniebat. Ex istis rationibus Athanasii facile colligebamus fieri non potuisse, ut qui morbo post ostium decumbebat, in sacris constiterit, & oblationem confecerit, nec oblationem proponi potuisse, cum intus catechumeni versarentur,  
quibus



quibus intus adhuc agentibus, tempus oblationis nondum esse potuit. Hæc, ut iam exposui, pro se dicebat Athanasius, & rem ita esse ex actis declarabat, idem affirmantibus ceteris qui cum eo erant, prorsus nunquam Ischyram ecclesiæ presbyterum fuisse, aut ut presbyterum synaxim cum aliis fecisse. Neque enim, quo tempore Alexander ex humanitate magni Concilii eos qui erant ex schismate Meletii recipiebat, hunc a Meletio tamquam suum nominatum fuisse affirmabant, quod ipsum maximum signum est, non fuisse illum ex numero Meletianorum: nam si Meletianus fuisset, omnibus modis illum in eorum classe recensuissent. Quin & alibi falsa dixisse Ischyram ex ipsis actis comprobatum est ab Athanasio, quippe qui in crimine de combustis libris falsi conuictus sit ab iis quos in testes adduxerat. ° Cum igitur istiusmodi allegarentur, & tot testes pro Athanasio starent, & ipse tam iusta pro se afferret, quid quæso nos oportuit facere? an non quod ecclesiastici Canonis est? hominemque proinde non condemnaremus, sed potius reciperemus? eumque pro episcopo, quemadmodum est, haberemus? Præter hæc omnia annum totum & integros sex menses apud nos hæsit, vestram præsentiam expectans, aut quotquot comparere auderent, suaque præsentia pudescit omnes: non enim iudicio stetit nisi sui fiduciam habuisset, neque sponte, sed literis nostris ad iudicium vocatus comparuisset, quemadmodum vos per literas citauimus, & tamen post tanta argumenta nos veluti insolitum quiddam agentes reprehenditis. P Qui igitur sunt, qui contra Canones agunt? nosne qui cum tantis rerum documentis virum recipimus? an qui solum ad triginta sex suffragia eorum qui Antiochiæ fuere, externum hominem episcopum salutarunt, eumque militari manu Alexandriam deduxerunt? quod ne tunc quidem factum est, cum Athanasius in Galliam relegabatur: quod tum haud dubie factum fuisset, si pro vere damnato habitus fuisset. Certe cum inde ab exilio rediret, etiam tum suam ecclesiam, a qua recipiebatur, vacantem inuenit. Prorsus ignoro quam ratione facta sunt quæ facta sunt. Primum enim (si verum dicendum est) non decebat, cum nos ad celebrandam Synodum literas mitteremus, aliquos præoccu-



pare iudicium Synodi, deinde non decuit nouos istos modos contra ecclesiam induci: vbi enim est istiusmodi ecclesiasticus Canon, aut istiusmodi traditio apostolica? vt in pace agente ecclesia, & episcopis concordibus cum episcopo Alexandriae Athanasio, immittere \*Gregorium peregrinum & externum hominem, neque Alexandriae baptizatum, neque plebi cognitum, neque postulatum a presbyteris, eumque Antiochiae creare episcopum, atque inde deducere Alexandriam, non cum presbyteris aut diaconis ciuitatis, non cum episcopis Ægypti, sed cum militibus? Hæc enim dixere & conquesti sunt qui huc venerunt: Si enim post Synodum in culpa fuisset deprehensus Athanasius, non tamen oportuit creationem noui episcopi ita illegaliter & præter Canonem ecclesiasticum fieri, sed in ipsa ecclesia, & ex ipso sacerdotali ordine, & ex ipso clero eius prouinciæ episcopos constitui, & nequaquam ex illis qui nunc apostolorum Canones violant. Age, si in quemquã vestrum id commissum esset, nonne vociferaturi essetis? nonne vindictam, quasi violatis Canonibus, postulaturi fuissetis? Dilecti, credite, tamquam Deo præsentem, cum veritate loquimur quod loquimur. Non est istud pie factum, non ex iure, non ecclesiastice. ¶ Quinimo quæ feruntur acta in introitu Gregorii, ostendunt qualis fuerit ordo in eius ordinatione: tēporibus enim ita pacatis, prout renuntiant qui inde veniunt, & quemadmodum episcopi scribunt, ipsa ecclesia incendium passa est, virgines denudatae, monachi conculcati, presbyteri & multi ex populo indigne habiti & violati, episcopi in carcerem detrusi, multi item spoliati. Sacra mysteria de quibus incusabant Macarium presbyterum ab ethnicis direpta, & in terram abiecta sunt, vt vi cogerent nonnullos ad constitutionem Gregorii approbandam. Hæc & istiusmodi ostendunt, quinam sint Canonum præuaricatores. Nam etsi legitima fuisset eius constitutio, non tamen cum præuaricatione legum coegisset eos sibi obtemperare, qui ei legitime obaudiebant. Et tamen, cum talia scelera designata sint, scribitis magnificam pacem Alexandriae & per Ægyptum fuisse, quasi res officiumque pacis in contrariam iam significationem abierit. Illud quoque necessarium existimaui quod vobis indicaretur, Athanasium affirmasse, Macarium sub

\*Georgium



custodia militum habitum esse, & solum accusatorem vna cum illis qui Mareoten proficiscebantur abiisse, & presbyteris rogantibus, vt in quæstione adesse liceret, pernegatum, & quæstionem habitam fuisse de calice & mensa in præsentia præfecti & eius cohortis, assistentibus tum ethnicis, tum Iudæis. Id principio nobis incredibile videbatur, nisi ex ipsis actorum monumentis demonstratum fuisset, certe nobis magnæ admirationi fuit, vt etiamnum vobis esse puto. Atqui ne presbyteris quidem adesse permittitur in mysteriis, cum tamen ipsi quoque sacrorum administrati sint. Iam quis non execretur sub externo iudice præsentibus catechumenis, & quod peius est, ethnicis & Iudæis Christianismum blasphemantibus, quæstionem de sanguine & corpore Christi haberi? Nam si omnino delictum aliquod perpetratum fuisset, oportebat de eo in ecclesia inquiri sub legitimis clericis. De Marcello autem, postquam de illo quoque vt impio in Christum perscripsistis, vobis studui significare, eum, cum huc venisset, affirmasse falsa esse quæ de se in literis vestris scripta essent, sed tamen, cum a vobis postularetur vt de fide diceret, tanta cum fiducia per se respondit, vt nemo non perciperet, eum nihil a veritate profiteri alienum, sed eadem cum pietate qua ecclesia de Domino ac saluatore nostro sentire, neque iam tantummodo, sed etiam olim huius sententiæ se fuisse confirmabat, vti & nostri presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur. Nam & eum tunc quoque in sententiis dicendis dimicasse cum Ariana hæresi, testes fuere; cuius quoque vos admonitos velim, ne quis talem hæresim approbet, sed abominetur vt alienam a sana doctrina. De viro igitur, quem rectæ opinionis & sinceræ religionis esse testimoniis approbatum est, quid, quæso, nos facere oportuit, nisi vt eum pro episcopo haberemus, quemadmodum & habemus, neque a communionem repelleremus? Hæc quidem ego non tamquam eorum causam agens scribo, sed vt & vobis fidem facerem, viros istos iuste & canonice a nobis receptos esse, & vos minime habere causam litigandi: par autem est vt studium adhibeatis, & omnibus modis elaboretis, vt quæ contra Canonem acta sunt emendationem accipiant, &



ecclesiæ pacem habeant, vt Christi pax nobis data permaneat, & non scindatur ecclesia, ne vos eam culpam veluti schismatis auctores sustineatis. Dico enim, & plane protestor, ea quæ a vobis acta sunt, non esse pacis, sed schismatis occasiones. Non enim solum Athanasius & Marcellus episcopi cum querimoniis de illatis iniuriis, sed & plurimi alii episcopi ex Thracia, Cœlesyria, Phœnicia, Palæstina huc conuenere, presbyteri item non pauci, partim ex Alexandria, partim aliunde huc ad Concilium occurrerunt, & coram omnibus episcopis ibi congregatis, inter reliqua dicta sua conquesti sunt, vim & iniuriam ecclesiis illatas esse, suasque ecclesias eadem quæ Alexandrina passas esse, & in aliis ecclesiis similia designata. Ex Ægypto autem & Alexandria cum denuo superuenissent presbyteri, literas secum attulere, quibus plurimorum episcoporum & presbyterorum querimonia continebatur; se, cum huc ad Concilium pergerent, detentos fuisse, atque etiamnum detineri. Et, quemadmodum post Athanasii exilium contigit, episcopos homines confessores flagris conscindi, alios in carceribus haberi, præfulesque longissimi in suo episcopatu temporis publicis ministeriis mancipari, & fere omnes clericos & populos ecclesiæ catholicæ insidiis appeti, & persecutionem pati: quosdam item episcopos & fratres finibus suis eiectos esse, nulla alia de causa, nisi vt inuiti cogentur communicare cum Georgio & Arianis: & Ancyra, quæ in Galatia est, non pauca aut parua designata esse, sed prorsus eadem cum factis Alexandrinis. Audiuimus etiam ista ab aliis, & Marcellus quoque episcopus rem ita esse suo testimonio confirmabat. Hæc & eiusmodi crimina contra quosdam ex vestris (vt nomina eorum omittam) hi qui huc venerunt detulere, quæ ego adscribere subterfugi, & fortassè ea ex aliis, quænam sint, rescueritis. Et hæc potissima mihi scribendicausa fuit, vt huc veniretis, quo vobis præsentibus omnia corrigi & sanari possent: ac propterea alacrius a vobis & sine recusatione occurrendum fuit, ne, qui hæctenus infamia istorum scelerum laborant, contumacia non comparendi in iudicio, libellos contra se datos videantur refellere non potuisse. Cum igitur talia rumoribus famaue circumferantur,



tantasque iniurias ecclesiæ patientur, & istiusmodi insidiis vexentur, vt affirmare qui hæc renuntiabant, quinam quæso sunt, qui flammam discordiæ accendunt? nosne qui ista dolemus, & patientibus fratribus compatimur? an illi qui hæc scelera designant? Miror autem, cum tantæ ac tales turbationes sint in singulis ecclesiis, vt non alia de causa iter susceperint qui ad Concilium venere, vos interim scribere concordiam in ecclesiis fuisse, cum istiusmodi facta, non ad ædificationem ecclesiæ, sed ad subuersionem fieri solent; & qui istiusmodi rebus oblectantur, non sunt pacis filii, sed perturbationis. Deus autem noster, non est perturbationis, sed pacis Deus. Quapropter quemadmodum conscius est Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, hæc putavi necessaria esse, quæ vobis scriberentur, tum vt parcerem vestræ existimationi, tum quia optarem ecclesias non in perturbatione esse, sed secundum Canones apostolorum regi, & vt nunc tandem pudefaceretis illos, qui ob mutuum inter ipsos odium ita ecclesias vexant. Audio paucos esse istorum malorum auctores: quapropter operam date, vt habentes viscera misericordiæ, corrigatis ea quæ ( vt dixi ) contra Canonem facta sunt, vt si quid vitii anteuertit, id vestro studio emendetur: & ne mihi scribatis, quod Marcelli & Athanasii communionem potius quod vestram præoptauerim: nam hæc non pacis sed contentionis & odii fraterni argumenta sunt. Atque ideo superiora scripsi, quo, certiores facti eos non iniuste receptos esse, desisteretis ab huiusmodi iurgio; qui si a vobis hic cum ceteris congregatis in iudicio conuicti fuissent, neque probas rationes pro sui defensione habuissent, recte nobiscum in scriptis vestris exposulassetis. Postquam autem, vt dixi, canonicè & non iniuste cum iis fouemus communionem, obsecro vos per Iesum Christum, ne sinatis discindi membra Christi, neque præoccupationibus fidem habete, sed Domini pacem anteponatis: non enim ius aut fas est, ob paucorum degeneres animos, eos abiici qui condemnati non sunt, aut spiritum Domini contristari. Quod si creditis posse quædam illis obiecta ostendi, & coram in facie redargui, veniant qui volunt: nam & se paratos esse & probaturos dicunt quæ denuntiauerunt. Certiores igitur nos, dile-



Etissimi, de ea re facite, quo & illis scribamus, & ceteris  
 item episcopis qui huc debent conuenire, vt coram omni-  
 bus qui culpæ obnoxii sunt condemnentur, & ne vltē-  
 rius perturbatio in ecclesia fiat: sufficiunt enim quæ facta  
 sunt, sufficit quoque in præsentia episcoporum episcopos  
 in exilium actos esse: de qua re non est prolixior sermo ha-  
 bendus, ne grauari videantur qui tum adfuere. Nam,  
 si verum est dicendum, minime decuit eousque procede-  
 re, aut eousque euadere istas animorum degeneres pusil-  
 lanimitates. Esto vt sint Athanasius & Marcellus ( vt scri-  
 bitis ) translati e suis sedibus, sed quid de aliis dicas qui ex  
 diuersis locis, tum episcopi, tum presbyteri, quemadmo-  
 dum dixi, huc venere? Nam & isti se denuo abreptos &  
 istiusmodi passos esse dixerunt. O dilecti, non iam vltē-  
 rius ecclesiæ iudicia secundum euangelium, sed vel ad  
 exilium, vel ad mortem instituuntur. Nam si, vt dicitis,  
 omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum Canonem,  
 & non isto modo iudicium fieri: oportuit scribere omni-  
 bus nobis, vt ita ab omnibus quod iustum esset decerne-  
 retur. Episcopi enim erant, & non vulgares ecclesiæ, qui  
 ista patiebantur, sed quas ipsi apostoli suamet opera ad fi-  
 dem instruxerant. Cur igitur & in primis de Alexandri-  
 na ciuitate nihil nobis scribere voluistis? an ignari estis  
 hanc consuetudinem esse, vt primum nobis scribatur, vt  
 hinc quod iustum est definiri posset? Quapropter si ist-  
 hic huiusmodi suspicio in episcopum concepta fuerat, id  
 huc ad nostram ecclesiam referri oportuit. Nunc autem  
 nos, quos certiores minime fecerunt, postquam iam ege-  
 rint quod libuit, suffragatores suæ damnationis, cui non  
 interfuimus, esse volunt. Non ita se habent Pauli ordina-  
 tiones, non ita patres docuerunt, sed fastus iste, & nouum  
 studium est. Obsecro vos cum alacritate, audite, pro pu-  
 blico bono ista scribo: quæ enim accepimus a beato Pe-  
 tro apostolo, ea vobis significo, non scripturus alioqui  
 quæ nota apud vos esse arbitror, nisi facta ipsa nos contur-  
 bassent. Episcopi abripiuntur, & suis e sedibus propellun-  
 tur: alii vero aliunde in eorum loca reponuntur, alii vero  
 insidiis appetuntur, vt subditi & de abreptis doleant, & a  
 summissis vim patiantur, vt quos optant, frustra requi-  
 rant; quos nolunt inuiti recipiant. Obsecro ne ista vltē-



rius fiant, vel potius contra illos scribite qui talia moliantur, ne deinceps has iniurias ecclesiæ patientur, aut episcopus aut presbyter istiusmodi contumelias sentiant, aut præter animi sententiam ea quæ nolint, ut nobis indicarunt, cogantur facere, ne apud ethnicos ridiculi efficiamur, aut, quod præ omnibus grauissimum est, Deum exacerbemus. Vnusquisque enim nostrum eorum quæ hic turbauit rationem reddet in die iudicii, optoque ut omnes secundum Deum sentiant, quo ecclesiæ suis episcopis receptis perpetuo gaudeant in Christo Iesu Domino nostro, per quem gloria Patri in sæcula sæculorum, Amen. Valere vos in Christo opto desideratissimi fratres.

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Epistola.* ] Hæc est illa vera & germana epistola, quam Iulius p- Epistola 3. Iulii quando scripta? prescripsit ad eas Eusebianorum literas, quas ex Antiocheno Concilio scriptas, per Elpidium & Philoxenum legatos Romanos transmiserat anno Christi 342. quando nimirum Gregorium in locum amoti Athanasii anno superiore electum per Philagrium præfectum iussu Constantii imperatoris, manu militari, multorumque ciuium & Christianorum ibi degentium cæde & exilio, circa paschale tempus introduxissent. Hæc Concilii Romani tertii sub Iulio celebrati, de quo infra, epistola synodica est: patres enim qui anno 342. Romæ conuenerant, per Iulium eas rescripsisse, in sua apologia ipse Athanasius testatur, his verbis: *Hæc cum Romæ Synodus per Iulium Romanum episcopum scripsisset, improba iterum audacia Eusebiani in ecclesiis perturbandis insidiisque tendendis usi sunt.* Ut ea quæ in Synodo decreta essent, solius Romani pontificis literis vulgarentur, honoris causa antiquitus id obseruari solitum fuit. Vide caput 52. Concilii Africani.

Hæc epistola quidquid Athanasius ab Eusebianis iniuriarum & calumniarum ab initio sedis Alexandrinæ passus est, enarratur & refutatur, ac demum ad desinendum, & de rebus turpiter & inique gestis poenitendum admonetur. In tanto criminum admissorum aceruo mitius quam oportebat eos ideo admonuit, quod speraret eos ad Concilium Romæ pertrahendos, quodque eos tot tantaque scelera non nisi imperatoris potentia fultos patrasse sciret. Ad orientales, teste Athanasio apologia secunda, per Gabinianum comitem missa fuit. Argumentum epistolæ.

<sup>b</sup> *Legi epistolam vestram.* ] Hanc suam Ariani epistolam non prius Epistola Ariatorum ad Iulium quando scripta? scripsere, neque etiam apostolicæ sedis legatos, Philoxenum & Elpidium, prius dimiserunt, quam cognouissent, quid in causa Athanasii, Marcelli, aliorumque exulantium episcoporum secunda illa, de qua infra, Romana Synodo gestum & definitum esset. Querelæ



Querele  
Eusebiano-  
rum quæ &  
quot.

quas Eusebiani hac sua epistola apud pontificem deposuerant, hæ fuerunt: Prima, quod indigno animo tulissent se Romam esse citatos. Secunda, præstitum Concilii habendi terminum nimis angustum fuisse. Tertia, indigne ferentes acta Tyrii Conuenticulia Iulio iterum examinari, indignum esse scribebant, alia Synodo retractari, quæ in alia iam stabilita essent; ac per Iulium ea labefactari, quæ ab ipsis iudicata erant. Quarta, vt Romanæ ecclesiæ iudicium, quod est omnium hæreticorum insigne proprium, subterfugerent, illud inculcarunt, nequaquam ex magnitudine ciuitatum esse æstimandas dignitates episcoporum. Quinta, exostularunt in Iulium, quod scribens ad eos, non tamen ad omnes nominatim literas rescripsisset, quarum illa erat inscriptio: *Eusebio cum suis*. Sexta, demum, sua ad Iulium scripta epistola conquesti sunt, Athanasium & Marcellum episcopos antea ab ipsis damnatos in communionem catholicam susceptos esse. Addit Sozomenus, eos suis literis contestatos fuisse, se nunquam cum Iulio pacem & concordiam inuituros, nisi quæ ab eis fuissent constituta probasset. Hæc ex epistola Iulii, Socrate & Sozomeno, Baronius anno 341. num. 56. 57. & 58.

An plures  
quam 20.  
Canones  
Nicæni  
Concilii  
fuisse, hinc  
recte pro-  
betur.

<sup>c</sup> *Quocirca episcopi.* ] Sunt qui ex hoc loco, Nicæni Concilii Canones plures quam viginti fuisse probant, quia ille Canon, cuius hic mentio fit, quo cautum fuit, vt res in minori Synodo cognitæ, in maiori etiam examinari atque tractari possent, inter reliquos extantes non inueniatur. Verum sicut cuncta ista quæ sequuntur, ex Nicæno Concilio prodiisse propter Iulii pontificis & Athanasii testimonium dubitare non licet; ita certos de his sancitos fuisse Canones, & non magis ex eiusdem Concilii actis prodiisse, non adeo facile affirmandum putarem. Ita Baronius in appendice anni 325. Quod infra ait, illam consuetudinem olim fuisse, eumque morem in ecclesia obtinuisse, intelligendum est de causa Arii, quæ antea in Concilio Alexandrino sub Siluestro pontifice, & in præsentia Osi Cordubensis diiudicata, iterum in Nicæno Concilio cognita fuit. Baronius prædicto anno 325. num. 161.

Causa indi-  
cæ Synodi.

<sup>d</sup> *Siquidem vestri legati.* ] Causam indictæ Romanæ Synodi exponit; nimirum quod legati Eusebianorum, ab Alexandrinæ ecclesiæ catholicis deuiçti, eam celebrari postularint anno 339. Vide notas Concilii Alexandrini infra, verbo *Concilium*: item notas in Concilium Antiochenum.

Eusebiani  
Nicænum  
Concilium  
reiciunt.  
An Tyrio  
Concilio  
Athanasius  
condemna-  
tus fuerit.

<sup>e</sup> *Si enim, vt scribitis.* ] Ostendit Eusebianos decreta Nicæni Synodi irritare, quippe qui in suam communionem ab Alexandrina & Nicæna Synodo excommunicatos Arianos recipiunt.

<sup>f</sup> *Qui nec Tyri condemnatus est.* ] Supra in notis ad Concilium Tyrium ex Sozomeno dictum esse memini, quod Concilium Tyri congregatum, postquam acta Mareotica per legatos confecta, Tyrumque perlata fuissent, iisdem actis Athanasium absentem condemnarit, episcopatu abdicarit, ac ne Alexandriæ habitaret prohiberit. Quod igitur hic ait pontifex, ipsum nequaquam Tyri condemnatum fuisse, intelligendum putamus a maiore & saniore parte illius



illius Concilii ibidem celebrati: catholici enim qui intererant, omnes ab Athanasii damnatione abhorruerunt, atque inde penitus discesserunt, cum Eusebiani seorsim ab iis coeuntes, in Athanasium, quæ sibi visa sunt decreuerunt. Vide quæ notauimus in prædicto Concilio Tyrio. Quamquam vero dici posset non esse condemnatum, quem a iudicio absentem, contra omne ius & æquitatem eiusdem causæ testes & iudices inique condemnassent: quæ sententia ex verbis quæ sequuntur aperte colligitur. *Scitis, inquit, monumenta actorum, ubi una dumtaxat pars adsuerit, nullarum virium esse, & suspecta haberi.*

<sup>e</sup> *Carpones.* ] Carpones fuit legatus Gregorii in episcopatum Alexandrinum intrusi, homo Arianus, iam olim ab Alexandro Alexandrino episcopo eo nomine notatus. Baronius anno 342. numero trigesimo octauo. Carpones quis.

<sup>h</sup> *Ariano Pisto literas scriberemus.* ] Literas nimirum pacificas & communicatorias, quibus catholici esse probarentur. Vnde patet, quod Eusebianorum legati per technas atque versutias Romanæ ecclesiæ communionem suffurari conati fuerint, quo de sua fide, quasi catholica foret & orthodoxa, gloriari possent. Idem a Nouatianis, Donatistis, aliisque plurimis antehac sæpius factum esse ex præcedentibus constat. Ariani catholicorum communionem affectarunt.

<sup>i</sup> *De nocte profectus est.* ] Fraude & infidelitate Arianorum legatorum detecta, postquam ultra annum Romæ egissent, vt ex Pisti ex Alexandria vocati historia colligitur, furtim nocturno tempore abeuntes acta Tyria & Mareotica, quæ ipsi secum Romam attulerant, Deo permittente, Romæ reliquerunt, ne acta turpiter, dolose & iniuste contexta, obliuione deleri contingeret. His fretus Iulius pontifex Eusebianos in Romano Concilio de calumnia conuicit: de iisdem Athanasius apologia secunda: *Eusebiani ea per suos Romam miserunt, eademque illa a Iulio episcopo ad me transmissa sunt. Insaniunt igitur sua arcana apud nos haberi, & a nobis recitari.* Vide Baronium anno 339. numero 14. & 16. Legati Arianorum quamdiu Romæ morati.

<sup>k</sup> *Si igitur vere pacem.* ] Futilem illam & procacem Eusebianorum assertionem, qua, vt iudicium Romanæ ecclesiæ subterfugerent, illud inculcabant, Nequaquam ex magnitudine ciuitatum esse æstimandas dignitates episcoporum, Iulius false quidem, sed vere ex ipsius Eusebii Nicomedienensis omnium antesignani factis exemplo petito, & inducta testificatione refellit. Ille enim maiorum ciuitatum sedibus inhians, nullo loco quietus consistere potuit. Nam e Beryti sede in Nicomediensem transierat, & ex illa rursus in Constantinopolitanam se contulerat. Eusebius Nicomedienensis arguitur.

<sup>l</sup> *Eusebio cum suis literis scripserim.* ] Querebantur Eusebiani non ad omnes, sed solum ad Eusebium cum suis Iulium scripsisse, & Synodum vocasse; quam inepte, sequentia indicant. Hinc apparet priores literas Iulii ad eos ad Synodum vocandos, ex Synodo datas esse; frequentia enim tunc Concilia cogebantur. Quasnam autem illi sic ad Synodum citati inanes causas falsosque prætextus Eusebianorum querela quæ.

Concil. Tom. 2.

Gggg



prætulerint, ne Romam ad synodale iudicium subeundum venirent, partim supra initio huius epistolæ diximus, partim infra in notis ad Concilium Antiochenum dicemus.

<sup>m</sup> *Quod autem non temere.*] Hoc loco acta utriusque Concilii Romani, de quibus infra, defendit, omnesque calumnias Athanasio Tyri obiectas refellit.

Acta Mareotica & Tyria quomodo accepta?

<sup>n</sup> *Ex monumentis actorum per Martyrium.*] Qua occasione Iulius pontifex acta Tyria & Mareotica acceperit, eaque post clandestinum abitum legatorum Eusebianorum retinuerit, supra diximus.

Romanæ Synodi acta.

<sup>o</sup> *Cum igitur istiusmodi allegarentur.*] Cum terminus indictæ Synodi longius præterlapsus esset, (Athanasius enim annum & dimidium expectarat) Synodum auspicatus, Athanasii, Marcelli, aliorumque episcoporum causam cognovit, quosque innocentes esse iudicaverat in communionem ecclesiasticam recepit. Vide notas Concilii Romani secundi.

Acta Concilii Antiocheni quar.

<sup>p</sup> *Qui igitur sunt, qui contra Canones.*] Hoc loco pontifex suggillat Eusebianos episcopos triginta sex illos, qui vel seorsim, (vt factum fuerat in Tyrio Conciliabulo ante) vel saltem imperatoris Constantii favore adiuti, contra plurium catholicorum vota ac suffragia in Antiocheno Concilio Athanasium iniuste deposuerunt, inque eius locum Gregorium Arianum, hominem peregrinum ac seditiosum suffecerunt, ac demum magna hominum cæde, non canonicè, sed militari manu in urbem introduxerunt. Quæ quando contigerint, vide notas Antiocheni Concilii.

Gregorii inuestitura quæ & qualis.

<sup>q</sup> *Quinimo quæ feruntur acta in introitu Gregorii.*] Cruentam illam introductionem Gregorii, qua templa sanctorum incensa, Potamon ille sanctus confessor, de quo supra in Nicæno Concilio, funeste occisus, plures relegati, optimi quique fugati, quam præuisam fugerat Athanasius, describit hic paucis Iulius pontifex: plura vide apud Athanasium epistola ad solitarios, & epistola ad omnes orthodoxos scripta. Ita Baronius anno 342.

<sup>r</sup> *Postquam.*] Monet deinceps Eusebianus pontifex vt a cœptis desistant, atque mala patrata corrigant.

<sup>s</sup> *Hanc consuetudinem esse.*] Perspicue declaratur, tum ex Canone ecclesiæ, tum etiam ex consuetudine, sic legitime episcoporum iudicia exerceri solita, vt de his imprimis ad Romanum pontificem scriberetur, a quo quid definiendum esset acciperetur.

#### EPISTOLA IV.

### IULII PAPÆ I.

#### AD ALEXANDRINOS.

*Iulius presbyteris, diaconis & populo in parocia Alexandria.*

**G**RATV LOR vobis, dilectissimi fratres, quod fructum fidei vestræ ante oculos videatis: id enim ita esse liquidissime apparet in fratre & coepiscopo nostro A-



Athanasio, quem Deus & ob vitæ sanctitatem & orationes vestras vobis restituit. Ex qua re spectare licet, quam puras semper preces & caritatis plenas ad Deum extuleritis. Memores quippe cælestium promissorum, & cælestis conuersationis, quam ex doctrina prædicti patris vestri didicistis, certo vereque cognitum habuistis, & pro vestra recta fide apprehendistis, nunquam illum perpetuo a vobis direptum iri, quem in piis pectoribus vestris, tamquam præsentem, retinebatis. Non mihi igitur ad vos scribenti multis verbis opus est: quæcumque enim a me dici poterunt, ea fides vestra iam anticipauit, & impleuit secundum Dei gratiam quidquid a nobis optari possit. Gratulor igitur vobis, rursus enim dicam, gratulor quod animas vestras in tuenda fide inexpugnabiles conseruastis. Sed interim fratri meo Athanasio non minus gratulor, quod quamquam multa acerba pateretur, nulla tamen hora vestræ caritatis, vestrique desiderii obliuionem induxerit: nam tametsi corpore ad tempus videretur a vobis separari, spiritu tamen perpetuo vobiscum agebat.

Redit igitur ad vos splendidior nunc, quam cum a vobis discederet. Quod si res preciosas aurum & argentum ad puritatem ignis explorat, quid, quæso, dignum eloquaris tanto viro, qui ex tantis malorum periculis purus innocensque vobis restituitur, talisque non nostro dumtaxat iudicio, sed ab vniuersa Synodo iudicatus est? Excipite igitur, dilecti fratres, cum omni secundum Deum gloria & lætitia episcopum vestrum Athanasium, & cum eo quotquot focii tantarum ærumnarum fuere, lætique sitis de fructu orationum vestrarum, qui pastorem vestrum (vt sic dicam) desiderantem & sitientem vestram pietatem salutaribus scriptis aluistis, potumque ei dedistis: nam peregre illi commoranti consolationi fuistis, eumque persecutiones tolerantem fidelissimis animis, & mentibus vestris, refocillastis. Mihi certe voluptati est contemplanti, & iam animo perspicienti vniuscuiusque in eius reditu lætitiâ, & multitudinis religiosissimæ occursum, & celebrem conuenientium festiuitatem.

Quis putas aut qualis erit vobis ille dies, cum & frater noster reuertetur, & mala superiora finem accipient? cumque preciosus & optabilis illius reditus omnes ala-



Agit apud  
Deum pre-  
cibus Iu-  
lius.

critate plenissimi gaudii in vnum cooptabit? Tale gaudium maxima ex parte etiam ad nos vsque pertingit, quibus diuinitus tanti viri notitia concessa est. In preces igitur epistolam desinere oportet. Deus omnipotens & eius Filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus perpetuam vobis gratiam præbeat, referens præmia vestra admirabilis fidei, quam claro martyrio erga Athanasium episcopum vestrum exhibuistis, vt vobis vestrisque posteris & hic & in futuro optima impertiat, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnipotenti Deo gloria in sæcula sæculorum. Amen. Valere vos omnes in Domino exopto, fratres dilecti.

## N O T Æ.

Epistola Iu-  
lii 4. quan-  
do & qua  
occasione  
scripta.

<sup>a</sup> *Epistola.*] Hæc est illa, quam scripsit pontifex anno 349. cum post Gregorium Cappadocem in Sardicensi Concilio depositum, & a ciuibus occisum Athanasius a Constantio per tres epistolas euocatus, Alexandriam rediturus esset. Cum enim Constantius episcopos Sardicensi Concilio absolutos, (Paulum nimirum Constantinopolitanum, & Athanasium Alexandrinum episcopum,) aliter quam fratri Constanti, & patribus Concilii Sardicensis petentibus promiserat, restituere per decem menses distulisset; catholici aliquot Alexandrini, longas moras Athanasium Alexandriam reuertendi, vbi mox a Synodo absolutus expectabatur, ægro animo ferentes, ipsum Gregorium in eadem Synodo condemnatum & depositum, adhuc tamen obstinato animo ecclesiæ incubantem interficiunt. Constans, quasi se contemptum a Constantio ducens, minaces literas per Saleam prætorem ad eum mittit, hæc.

Sunt hic apud me Athanasius & Paulus, quos auditione accepi, pietatis causa persecutionem passos esse. Quod si polliceare, te illis suas ipsorum sedes redditurum, inque eos a quibus sine causa iniuria affecti sunt animaduersurum, viros ipsos ad te mittam: sin autem recuses ista hoc modo perficere, pro certo velim cognoscas, me eo venturum, & te inuito illis suas ipsorum sedes restitutum.

Quibus literis acceptis Constantius imperator conterritus, suadentibus etiam Arianis episcopis, ne vltra bellum Persicum, etiam ab occidentis imperatore Constante bello impetitus succumberet, statuit etiam præter animi sententiam fratri petenti assentiri, & episcopos restituere. Scribit igitur ad Athanasium tres aut plures epistolas, quarum hæc, quæ sequitur, prima est.



*Constantius Victor Augustus Athanasio.*

**D**IV te iactari vexarique immanibus vndarum procellis nostræ clementiæ humanitas non permittit: nudatum siquidem paternis sedibus bonisque tuis spoliatum, & in inuis feralibusque locis errabundum nostra indefatigabilis pietas non deseruit. Nam tametsi iam pridem superferedi mentis meæ propositum ad te scribere, eo quod te vltro aduenturum expectarem, & postulaturum malorum tuorum remedium, tamen, quia fortasse voluntatem propositi tui metus impediuit, ideo literas munificentiæ nostræ plenissimas ad tuam constantiam misimus, vt secure conspectui nostro quamprimum tuam præsentiam offeras, vt voti particeps, nostramque humanitatem expertus, tuis restituaris. Hac enim de causâ dominum meum & fratrem Constantem Victorem Augustum pro te adhortationibus conueni vt tibi veniendi facultatem daret, quo vtriusque nostrum nutu patriæ restituaris, & hoc pro pignore nostræ gratiæ habeas.

Secunda eiusdem epistola hæc est.

Et si superioribus literis significauimus, vt secure ad nostrum comitatum accederes, eo quod maxime cupiamus te ad tuos remittere, tamen etiam has literas nunc ad tuam soliditatem misimus, quibus adhortamur, vt sine omni diffidentia aut metu publica vehicula ascendas, & properes ad nos, vt, quæ concupiscis, assequare.

Tertia epistola sic se habet.

Cum Edessæ commoraremur, præsentibus tuis presbyteris, placuit vt misso ad te presbytero, festinares ad nostrum comitatum venire: vt vbi nostrum vidisses conspectum, statim Alexandriam transfires. Sed quia plurimum temporis intercessit, ex quo literis nostris acceptis non venisti, ideo te nunc denuo admonitum volumus, vt vel nunc saltem quamcelerrime ad nos te conferas, quo tu ita patriæ tuæ restituaris, & nos tuis precibus frui possimus. Ad pleniorum autem cognitionem Achitam diaconum ad te misimus, a quo discere licebit & mentis nostræ voluntatem, & te assequi posse quæ votis optas.

Gggg iij



Athanasius his literis acceptis ex Gallia, quo a Constante Aquileia euocatus fuerat, in Italiam ascendit, ecclesiam, & episcopum, (Romanum nempe, qui antonomastice ita nominabatur) aditurus, cum ibidem a Iulio honorifice exceptus fuisset, cum hisce Iulii literis dimissus, profectus est Antiochiam, ubi a Constantio benigne exceptus, dum Leontii communionem recusasset, petitamque Alexandriae pro Eusebianis ecclesiam denegasset, Constantii epistolis ad Alexandrinos scriptis communitus, ad suos tandem reuersurus, inde discessit anno Christi 349. Vide Baronium prædicto anno, &c.

Epistola Constantini ad Alexandrinos clericos hæc est:

*Victor Constantius Maximus, Augustus, episcopis & presbyteris  
catholicæ ecclesiæ salutem.*

**N**ON est derelictus a Dei gratia reuerendissimus Athanasius, tametsi ad breue tempus humanæ probationi subiectus fuerit: iustum enim debitumque iam ab omnia ferente & sustinente prouidentia calculum retulit, eo quod & voluntate Optimi, & iudicio nostro, patriam & ecclesiam, quam antea diuino nutu possedit, recipiat: ad quem congruentia etiam a nostra humanitate perferri oportet: adeo ut omnia, quæ antea contra eos, qui cum eo communionem celebrarunt, decreta fuere, obliuioni tradi velim; omnisque deinceps suspicio contra aboleatur; & immunitas, quam olim habuere ipsius clerici, firma illis & rata (prout decet) conseruetur. Quin & hoc quoque eius gratia adiici, æquum arbitrati sumus, ut apud vniuersos sacri ordinis viros promulgetur, cunctis qui Athanasio adhæserere datam esse securitatem, siue episcopi, siue clerici sint. Abunde enim argumenti erit, vnumquemque eorum probi animi esse, veleo solo quod Athanasio consociati fuere. Quicumque enim meliori & iudicio & factione huius communionem elegerunt, hos omnes iussimus ad exemplar superioris prouidentia, & secundum nostram voluntatem, ut gratia ab optimo Deo tributa securiter perfruantur. Deus vos seruet.

Secunda eiusdem epistola ad populum Alexandrinum scripta hæc est:

*Victor Constantius Maximus, Augustus, populo Alexandriae  
catholicæ ecclesiæ salutem.*

**C**VM ante oculos habeamus vestram in omnibus disciplinam, & nequaquam inficii simus vos iam pridem



episcopali prouidentia destitutos, decreuimus Athanasium episcopum, virum apud omnes rectitudine morumque probitate clarum, ad vos remittere. Hunc igitur si libenter & decenter receperitis, eumque ad Deum fufis precibus opitulatorem adhibueritis, concordiam & vobis decoram & nobis gratissimam simul pacemque perpetuam & ecclesiæ legem conseruabitis. Absurdum enim est discordiam aut seditionem inter vos agitari, & alienum hoc ipsum est a nostrorū temporum integritate. Volumus igitur & hoc vitium prorsus a vobis abesse, & vos in vestris precibus perpetim illo (vt dixi) præside & opitulatore apud Deum vti, & in eo studio solito more perseverare: vt tali proposito, vestro omnium ore celebrato, Gentiles, qui etiamnum idolorum erroribus inhærent, ad sacræ religionis cognitionem promptissime decurrant.

Quapropter denuo vos admonemus, vt superioribus dictis acquiescentes, episcopum suffragio Optimi, & nostra voluntate, huc remissum, libenter suscipiatis, eumque ab animis sententiisque vestris indissolubilem putetis: id enim vos decet, & nostræ mansuetudini congruum est. Ad omnem siquidem conturbationis & seditionis materiam extirpandam, qua cupidi malorum libenter vtuntur, nostris apud vos iudicibus per literas iniunximus, vt, quotquot seditiosos inuenerint, pœnis suppliciiisque legum coerceant. Omnia igitur ista præ oculis habentes, & nostram cum optimo Deo coniunctam sententiam, curamque vestram simul & concordia, pœnamque in immodestos constitutam, congrua decenciaque sacræ religionis legibus seruantes, prædictum Athanasium cum omni reuerentia & honore colite, vestrasque preces cum eo & pro vestra & pro cuiusque vitæ sanctitate Deo omnium parenti offerte.

Rogat suscipi Athanasium.

Epistolam ad præfectos eiusdem prouinciæ scripsit hanc:

*Victor Constantius Augustus Nestorio, & eadem forma Augustamnicæ, Thebaidis, & Africa præfectis.*

**S**i quid vnquam ad noxam contumeliamve eorum, qui Athanasio communicarunt, decretum inuenitur, id omnino deleri volumus. Nam & officium quod antea



habuerunt eius clerici iterum eosdem habere volumus. Hoc enim decretum obseruari iubemus, vt restituto Athanasio suæ ecclesiæ, communicatores illius idem habeant officium quod antea possederunt, quo & ipsi se gaudeant prorsus restitutos esse.

His literis a Constantio acceptis itineri sese accinxit : interea magno omnium catholicorum luctu Constantem imperatorem a Magnentio mense Martio anni 350. occidi contigit. Quod cum Ariano lato animo accepissent, Athanasium adhuc in itinere hærentem, quasi per obitum patroni sui interceptus esset, territare conati fuerunt. Constantius vero imperator ista audiens, per literas quas infra subiungemus, illum bono animo esse iubet. Exemplar earum hoc est :

*Victor Constantius Augustus Athanasio salutem.*

**V**OTVM meum fuisse vt omnia ex sententia fratri meo Constanti procederent, neque vel tuam conscientiam latet. In quanto autem mœrore fuerim, cum didicissem eum a quibusdam impiis sublatum esse, facile iterum tua prudentia diuinauerit. Ceterum quia nonnulli sunt in hoc luctuoso tempore, qui te terrere satagunt, ideo has literas tuæ firmitudini porrigendas censuimus, quibus tibi auctor sum, vt, quemadmodum episcopum decet, ea quæ ad sacram religionem pertinent, populos doceas, tuisque consuetis precibus vaces, neque vanum rumorem ferentibus credas, quicumque etiam fuerint. In nostro autem animo fixum est, vt secundum nostram voluntatem perpetuo in sede tua episcopus maneat. Diuina prouidentia te plurimis annis conseruet, parens carissime.

DECRETA IULII PAPÆ I. DECEM  
IUXTA GRATIANVM ET IVONEM.

PRIMUM.

*Turpe lucrum sequitur qui minus emit vt plus vendat,  
vel quid sit usura.*

14. q. 4.  
Quicum-  
que tēpote.

**Q**VICVMQVE tempore messis vel vindemiæ non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam



nam vel vinum, verbi gratia, de duobus nummis comparat modium vnum, & seruat vsquedum venundetur denariis quatuor aut sex, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus.

Et in decr. Iuo. lib. 3.

## SECUNDVM.

*Reus est animarum presbyter, qui penitentiam morientibus abnegat.*

Si presbyter penitentiam morientibus abnegauerit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: *Quicumque die conuersus fuerit peccator ad penitentiam, vita viuet, & non morietur.* Vera enim confessio in vltimo tempore esse potest, quia Dominus non solum temporis, sed etiam cordis inspector est: sicut latro, vnius momenti penitentia, meruit esse in paradiso in hora vltimæ confessionis.

26. q. 6. Si presbyter

penitentiam.

Ezech. 18.

Luc. 23.

## TERTIVM.

*Post mortem alicuius nullus de eius consanguinitate sponsam accipiat.*

Si quis desponsauerit vxorem, vel subarrauerit, & siue praueniente die mortis, siue irruentibus aliis causis, minime eam cognouerit, neque eius superstes frater, neque vllus de consanguinitate eius, eamdem sibi tollat in vxorem vlllo vnquam tempore.

29. q. 2. Si quis desponsauerit.

sponsauerit.

## QUARTVM.

*Licet seruo matrimonia contrahere.*

Omnibus nobis vnus est Pater in cælis, & vnusquisque diues, pauper, seruus, & liber, æqualiter pro se, & pro animabus eorum rationem reddituri \* sumus. Quapropter omnes, cuiuscumque conditionis sint, vnã legem ( quantum pertinet ad Deum ) habere non dubitamus. Si autem omnes vnã legem habent, ergo sicut ingenuus dimitti non potest, sic nec seruus semel coniugio copulatus vltius dimitti poterit.

Math. 23.

29. q. 2.

Omnibus nobis vnus.

\* sunt.



35. q. 2. & 3.  
Nullum in  
vstroque.  
Et in decr.  
Iuo. lib. 7.  
sub titulo  
Aurelia-  
nenſis Con-  
cilii, Can. 10

*Ex propinquitate ſui ſanguinis vel vxoris, vſque in ſeptimum gradum, nullus ducat vxorem.*

Nullum in vtroque ſexu permittimus ex propinquitate ſui ſanguinis vel vxoris, vſque in ſeptimum generis gradum, vxorem ducere, vel inceſti macula copulari. Præterea quoque illud adiecimus, quoniam ſicut non licet cuiquam Chriſtiano de ſua conſanguinitate, ſic etiam nec licet de conſanguinitate vxoris ſuæ coniugem ducere propter carnis vnitatem.

## SEXTVM.

De confec.  
diſtinct. 1.  
De fabri-  
ca vero.

*Eccleſia ſemel Deo confecrata quando eſt iterum confecranda.*

De fabrica vero cuiuſlibet eccleſiæ, ſi diruta fuerit, inſtauranda, & ſi in eo loco confecrationis ſolennitas debeat iterari, in quo ſanctuaria non fuerint, nihil iudicamus officere, ſi per eam minime iactetur aqua exorcizata, quia in confecratione cuiuſlibet eccleſiæ, in qua Spiritus ſancti arra non ponitur, celebritatem ſcimus tantum eſſe Miſſarum. Et ideo, ſi qua ſanctorum baſilica a fundamentis fuerit innouata ſine altaris motione, ſine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit Miſſarum ſolennitas celebrata, totius confecratio ſanctificationis implebitur. Si vero ſanctuaria quæ habebant ablata ſunt, rurfus eorum deſiſtione, & Miſſarum ſolennitate, reuerentiã ſanctificationis accipiat.

## SEPTIMVM.

*De his qui ſacrificando varie errabant.*

De confec.  
diſtinct. 1.  
Cum om-  
ne. Et in  
decr. Iuo.  
lib. 1.

Cum omne crimen atque peccatum oblatiſ Deo ſacrificiis deleatur, quid de cetero pro expiatione delictorum Domino dabitur, quando in ipſa ſacrificii oblatione erratur? Audiuiſimus enim quosdam ſchiſmatica ambitione detentos, contra diuinos ordines & apoſtolicas inſtitutiones lac pro vino in diuinis ſacrificiis dedicare; alios quoque intinctam euchariftiam populis pro complemento communionis porrigere; quosdam etiam expreſſum vinum in ſacramento Domini calicis offerre; alios vero pannum lineum muſto intinctum per totum annum reſeruare, & in tempore ſacrificii partem eius aqua lauare, & ſic offerre; quod quam ſit euangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ contrarium, & conſuetudini eccleſiaſticæ



aduersum, non difficile ab ipso fonte veritatis probatur, a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim Magister veritatis verum salutis nostræ sacrificium suis commendaret discipulis, \* nulli lac, sed panem tantum & calicem sub hoc sacramento cognoscimus dedisse. Legitur enim in euangelica veritate:

\* non illis

\* in sacrificio

*Accepit Iesus panem & calicem, & benedicens dedit discipulis suis.* Math. 26.

Cesset ergo lac \* sacrificando offerri, quia manifestum & euidens exemplum veritatis euangelicæ illuxit, quod præter panem & vinum aliud offerri non liceat. Illud vero, quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex euangelio testimonium receperunt, vbi apostolis corpus suum commendauit & sanguinem. Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella Magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti huius institutionem signaret. Nam quod de expresso botro, id est, de vuarum granis populis communicatur, valde est omnino confusum; sed, si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aqua misceatur: quia calix dominicus, iuxta Canonum præcepta, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur & iungitur; quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, vt mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrus solus offertur, in quo vini \* efficacia tantum designatur, salutis nostræ sacramentum negligitur, quod aqua significatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur. Et ideo, quia iam ex hoc plurima & multiplex maiorum manauit sententia, omnis deinceps talis error atque præsumptio cessare debet, ne peruersorum & inordinata compago statum veritatis eneruet. Et ideo nulli deinceps erit licitum aliud in

\* efficacia

*Concil. Tom. 2.*

Hhhh ij



sacrificiis diuinis offerre, nisi iuxta antiquorum sententiam Conciliorum, panem tantum & calicem vino & aqua permixtum. De cetero aliter quam præceptum est faciens, tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentiæ satisfactione correctus, ad gradus sui officium redeat quod amisit.

## OCTAVVM.

Ex decreto Iuonis Carnotensis desumptum.

*Quid sit ecclesia.*

Ecclesia Græcum nomen est quod in Latinum vertitur conuocatio, \* propter quod ad se omnes vocet. Catholica ( id est vniuersalis ) ideo dicitur, quia per vniuersum mundum est constituta. Vel quoniam catholica, hoc est generalis, in eadem doctrina est ad instructionem.

In decret.  
Iuo. lib. 1.

\* pro-  
pterea  
quod

## NONVM.

Ex eodem.

*De illis qui ecclesias incenderunt.*

Si quis ecclesiam comburit, quindecim annos pœniteat, & eam sedule restituat, & precium pauperibus distribuat.

In decret.  
Iuo. lib. 6.

## DECIMVM.

Ex eodem.

*Libertam domino legitime nubere posse.*

Si quis ancillam suam libertate donauerit, & in matrimonio sibi sociauerit, dubitabatur apud quosdam, vtrum huiusmodi nuptiæ legitimæ esse videantur, an non. Nos itaque vetustam ambiguitatem decidentes, talia connubia legitima esse censuimus. Si enim ex affectu fiunt omnes nuptiæ, & nihil impium & legibus contrarium in tali copulatione fieri potest, quare prædictas nuptias inhibendas existimaremus?

In decret.  
Iuo. lib. 6.